E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

URBIS ET ORBIS (1).

Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII, cuius iussu et auctoritate Sacra Rituum Congregatio Decreta e suis regestis selecta, revisa et typis commissa in lucem profert, in Audientia, subsignata die, ab infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto habita, Collectionem horum Decretorum, quae in praesenti volumine ceterisque mox edendis continentur, apostolica sua auctoritate approbavit, atque authenticam declaravit, simulque statuit Decreta hucusque vulgata in iis, quae a Decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quae pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant. Insuper idem Sanctissimus Dominus noster de praedictis praesens Decretum in forma authentica expediri, atque huic editioni, cusae typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, praefigi mandavit. Contrariis non

(1) Decretum hoc primo Volumini novae S. R. C. Decretorum Collectioni praefixum est.

obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 19 Februarii, anno 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus*

DIOMEDES PANICI *Secretarius.*

II.

NULLIUS

MONTIS CASSINI.

In Abbatia Montis Cassini, Nullius, cui nuper adiuncta est, sub titulo Praepositurae, perantiqua Atinensis Dioecesis, in Canone Missae ad verba: *et Antistite nostro N.* nomen Abbatis Ordinarii exprimitur ex antiqua traditione orali et scripta, nunquam interrupta et pluribus argumentis suffulta. Hinc, ut eiusmodi consuetudo a communi iure difformis, speciali saltem Apostolico Privilegio confirmaretur in decus et dignitatem perinsignis Sedis Abbatialis, hodiernus Abbas Montis Cassini et Atinae Praepositus, per supplicem libellum Sacrorum Rituum Congregationi exhibitum, praemissis omnibus, quae ad rem et in casu opportuna et utilia fore existimabat, Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII pro se et successoribus suis enixe rogavit, ut de speciali indulto Apostolico nomen Abbatis Ordinarii Montis Cassini et Atinae Praepositi, in Canone Missae exprimi valeat, confirmata consuetudine per tot saecula

ad haec usque tempora vigente. Quum vero, de mandato eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, Sacra Rituum Congregatio omnia accurate expenderet, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, typis edito una cum supradicto supplici libello, ad dubium, per E.mum et R.mum D.num Cardinalem Hieronymum Gotti Causae Relatorem, in Ordinario Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, ita propositum: *An Sacerdotes utriusque Cleri, qui sunt sub iurisdictione Abbatis Montis Cassini, possint in Canone Missae nominare ipsum Abbatem, ut iam a longissimo tempore faciunt?* respondendum censuit: *Affirmative, retentis verbis:* Antistite nostro, *etiam a Clero Regulari et facto verbo cum Sanctissimo.* Die 26 Aprilis 1898.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit die 29, iisdem mense et anno.

C. Card. Mazzella *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

III.

NULLIUS

NONANTULANAE.

Extat in Abbatia Nonantulana, Nullius Dioecesis, Provinciae Ravennatensis, vetus consuetudo ut Sacerdotes in Canone Missae ad verba: *Et Antistite nostro* nomen adiiciant Archiepiscopi Mutinensis, qui Abbatiae eiusdem Abbas Commendatarius est, atque Episcopus vicinior, a quo pariter Nonantulani Clerici sacros Ordines suscipiunt. Exorto dubio de legitimitate huius consuetudinis, R.mus D.nus Antoninus C. Monaci Vicarius Generalis ipsius Abbatiae a Sacra Rituum Congregatione necessariam et opportunam declarationem humiliter postulavit. Et Sacra Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae etiam typis cuso, atque attentis peculiaribus adiunctis, super dubio ab E.mo et R.mo D.no Card. Hieronymo Gotti huius Causae Relatore, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, ita proposito: *An Sacerdotes Nonantulanae Abbatiae, Provinciae Ravennatensis, possint nominare Archiepiscopum Mutinensem in Canone Missae ut hactenus fecerunt?* rescribendum censuit: *Non esse inquietandos.* Die 26 Aprilis 1898.

Quam resolutionem ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto re-

latam, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII ratam habuit et confirmavit die 29, iisdem mense et anno.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

IV.

ADDENDA

AD MARTYROLOGIUM ROMANUM

Die 7 Septembris.

(*Septimo Idus Septembris*)

Nonantulae, in Aemilia, S. Hadriani Papae III., studio conciliandi Ecclesiae Romanae Orientales insignis. Sanctissime obiit Spini Lamberti ac miraculis claruit.

Die 16 Octobris.

(*Decimo septimo Calendas Novembris*)

Cassini, B. Victoris Papae III., qui Gregorii VII. successor. Apostolicam Sedem novo splendore collustravit, insignem de Saracenis triumphum divina ope consecutus. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo XIII. P. M. ratum habuit et confirmavit.

Die 8 Iulii.

(*Octavo Idus Iulii*)

Romae, B. Eugenii Papae III., qui postquam coenobium Ss. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias magna sanctimoniae ac prudentiae laude rexisset, Pontifex Maximus renuntiatus, Ecclesiam universam sanctissime gubernavit. Pius IX. P. M. cultum ei exhibitum ratum habuit et confirmavit.

Die 19 Augusti.

(*Quartodecimo Calendas Septembris*)

Romae, B. Urbani Papae II., qui Sancti Gregorii VII. vestigia sequutus, doctrinae et religionis studio enituit, et fideles cruce signatos ad Sacra Palaestinae loca ab infidelium potestate redimenda excitavit. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo XIII. P. M. ratum habuit et confirmavit.

Die 22 Iunii.

(*Decimo Calendas Iulii*)

Romae, B. Innocentii Papae V., qui ad tuendam Ecclesiae libertatem et Christianorum concordiam suavi prudentia adlaboravit. Cultum ei exhibitum Leo XIII. P. M. ratum habuit et confirmavit.

Die 19 Decembris.

(*Quartodecimo Calendas Ianuarii*)

Avenione, B. Urbani Papae V., qui, Sede Apostolica Romae restituta, Graecorum cum Latinis coniunctione perfecta, infidelibus coërcitis, de Ecclesia optime meritus est. Eius cultum pervetustum Pius IX. P. M. ratum habuit et confirmavit.

ORBIS.

Instantibus R.mis PP. Hildebrando de Hemptinne, Abbate Primate Ordinis S. Benedicti, Sebastiano Wyart, Abbate Septem Fontium, Generali Ordinis Cisterciensium Reformatorum, et Andrea Frühwirth, Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII., ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, et referente infrascripto Cardinali Praefecto, Elogia Summorum Pontificum S. Hadriani III., et Beatorum Victoris III., Eugenii III.,

Urbani II., Innocentii V., et Urbani V., ab ipsa sacra Congregatione revisa et correcta, prout in superiori extant exemplari, probavit atque ea in Martyrologio Romano inseri, de speciali gratia, concessit et iussit; non obstante Decreto sa: me: Clementis Papae XII., edito die 6 Martii anno 1734, atque aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Die 29 Aprilis 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. S. R. C. *Praefectus.*

D. PANICI *Secretarius.*

V.

URBIS.

Ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, quum SS.mus Dominus Noster Leo Papa XIII. cultum ab immemorabili tempore ac sine intermissione praestitum Beato Innocentio V. Papae Confessori suprema auctoritate sua nuperrime confirmaverit; E.mus ac R.mus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuen. et S. Rufinae, atque ipsius SS.mi Domini Nostri in Urbe Vicarius, Eumdem SS.mum Dominum Nostrum supplicibus votis rogavit, ut, praeterquam in tribus Patriarchalibus Basilicis, a Clero Urbis Saeculari huiusque Districtus, necnon ab aliis etiam Regularibus utriusque sexus, in Urbe, vel extra, utentibus Calendario Cleri Romani, sub ritu duplici minori recolatur

festum ipsius Beati Pontificis Confessoris, die vigesima secunda Iunii cum Officio ac Missa, hac die approbatis. Sanctitas porro sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, benigne precibus annuere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 29 Aprilis 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. PANICI *Secretarius.*

VI.

Alia Elogia in Martyrologio Romano inserenda.

Die 17 Iunii.

(*Sextodecimo Calendas Iunii*).

Apud Villam Regalem in regno Valentino, Sancti Paschalis Ordinis minorum, mirae innocentiae et poenitentiae viri, quem Leo decimustertius coetuum eucharisticorum et societatum a Sanctissima Eucharistia Patronum coelestem declaravit.

Die 5 Iulii.

(*Tertio Nonas Iulii*).

Cremonae in Insubria S. Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, Clericorum Regularium Sancti Pauli et Angelicarum Virginum Institutoris, quem virtutibus omnibus et miraculis insignem Leo decimustertius inter Sanctos adscripsit. Eius corpus Mediolani in Ecclesia Sancti Barnabae colitur.

Die 9 Decembris.

(*Quinto Idus Decembris*).

Graii in Burgundia Sancti Petri Fourier Canonici Re-

gularis Salvatoris Nostri, Canonissarum Regularium Dominae Nostrae edocendis puellis Institutoris, quem virtutibus ac miraculis clarum Leo decimustertius Sanctorum catalogo adiunxit.

ARCHAEOLOGIA SACRA

PROLOQUIUM

Clarissimi Mariani Armellini, viri antiquitatis peritissimi, qui Romae obiit VI Kal. Martii anni 1896, et quem nostri lectores cognoverunt, saltem ex elegantissimis articulis, quos quamdiu vixit in nostris *Ephemeridibus* edidit, amicorum solicitudine prodiit novum opus, cui titulus : *Lezioni di Archeologia Sacra* (1).

In hoc, ut editor ait, christianae antiquitatis studiosi inveniunt, critico tractationum ordine dispositas, lectiones, quas auctor tradidit annis duodecim alumnis scholarum Pontificii Seminarii Romani et Collegii de Propaganda Fide.

Opus quinque habet partes, praeter praefationem editoris, epistolam clarissimi Stevenson, aliqua vitae auctoris capita et copiosum indicem analyticum.

In parte prima disseritur de Religione christiana in suis relationibus cum variis hominum coetibus; in secunda de Caemeteriis ; in tertia de Arte christiana in Caemeteriis evoluta ; in quarta de disciplina ecclesiastica et in quinta tandem de inscriptionibus. Thema est amplum et amplectitur universam antiquitatem christianam, ac proinde neque altius neque latius evolvi poterat in his lectionibus. Attamen clarissimus auctor, ea qua pollebat amplissima antiquitatis scientia usus, quidquid in hac utilitatis et ponderis emicat, in suis lectionibus congregavit. Nos

(1) Mariano Armellini — Lezioni di Archeologia Sacra—Opera postuma. — Roma, tipografia della Pace di Filippo Cuggiani 1898. — Prezzo L. 10.

igitur pergratum nostris lectoribus facturos putamus excerpentes ex perillustris auctoris opere, quae maioris sunt ponderis, et articulis continuis in nostris *Ephemeridibus* edentes (1). Et ita obsequium clarissimo auctori tributuros censemus, qui vivens nostras paginas suis scriptis exornavit.

I.

De nominibus Christianorum.

1. Antiochiae primum Salvatoris asseclae habuerunt nomen proprium collectivum, quod eos a ceteris aliis coetibus distinxit, et vocati sunt *Christiani* (Vid. *Act. Apost.* XI, 26): quod quidem nomen semper habuerunt, quamvis etiam Catholici postea appellati fuerint.

Secundum nonnullos priorum temporum scriptores, quos inter sunt Theophilus Antiochenus et S. Cyrillus Hierosolymitanus, Christiani appellati sunt, quia chrismate inungebantur; sed praevaluit communior opinio, Christianos nomen a Christo Salvatore sumpsisse. Qua de re S. Ioan. Chrysost. ait: *Non ab hominibus appellamur, non est nobis antesignanus aliquis, uti quidem aliis Marcianus, aliis vere Manichaeus, aliis Arius, aliis alius dux extitit* (Homil. XXIII). Et S. Greg. Nazian.: *Petrum honore prosequor nec tamen Petrianus vocor, et Paulum nec tamen Paulianus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, quia a Deo sum creatus* (Orat. XXXI).

Auctis vero haereticis, qui et ipsi Christiani vocabantur, veri fideles, ut ab illis distinguerentur, appellati sunt Catholici, quod nomen ratum habitum fuit in Symbolo Constantinopolitano, quod ideo verae Ecclesiae, agnitionis notam, appellationem « Catholicam » dedit: *Et unam sanctam, catholicam . . . Ecclesiam*. Qua de re sunt memoranda verba Paciani: « *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit* (In Epist. ad Sempronium haeret. novatia-

(1) Non tamen omnia quae hic inserimus ab eo tantum haurimus; sed aliis quoque auctoribus utimur.

num) ». Verbum autem *Catholicus* hoc sensu acceptum est antiquissimum, invenitur enim in S. Ignatio Martyre : *Ubi fuerit Christus Iesus ibi Catholica est Ecclesia* (Epist. ad Smyrn. n. 8.).

Ethnici originem nominis ignorantes vocabant Salvatorem « Chrestum » --- *Iudaeos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma espulit* (imperator), ait Svetonius ; eius autem asseclas *Chrestianos* vocabant (Cf. S. Iustin. *Apologiam* I ; Tertull. *Apol.* c. III).

Alia etiam nomina habebant Christiani, quibus praecipue inter se utebantur. Ita a S. Paulo in pluribus Epistolarum locis vocantur : *Sancti, Discipuli, Fideles, Electi.* Et ex inscriptionibus funereis alia appellativa apparent, ex gr. *Cultor Verbi.* Celebriora sunt appellativa, quibus ob mutuum amorem nominabantur : *Fratres, soror, conserva, coniux;* quae, praesertim duo priora, iniquarum calumniarum causam ethnicis praebuerunt. « *Passim inter eos quaedam libidinum religio miscetur ac se promiscue appellant fratres et sorores* (Minutius Felix in *Octavius*). »

Tertullianus in libro I de Baptismo scribit, fideles vocari *Pisciculos*, « *quia secundum ichtyn nostrum Iesum Christum in quo nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.* » *Theophori, Pneumatophori, Orthodoxi, Gnostici* etiam dicebantur. Primum nomem usurpavit S. Ignatius Mart. qui omnes suas epistolas his verbis exorditur : *Ignatius, qui et Theophorus.* Ex Patribus autem cognoscimus omnibus Christianis fuisse commune, sicut etiam secundum. In inscriptione Cherchell inventa legitur: SATOS SANCTO SPIRITU. --- *Orthodoxi* in signum detestationis haereticorum errorum. *Orthodoxia* a graecis vocata fuit iussu Michaelis imperatoris et Theodorae uxoris, Dominica prima Quadragesimae, ideo nuncupata *Dominica Orthodoxiae (Dominica rectae sententiae).* Tandem vocati sunt *Gnostici*, quia dicebantur viri eruditi et studiosi : « *Si Dominus est veritas et sapientia et virtus Dei sicut est, patet quod revera is est* GNOSTICUS, *qui eum cognovit et per eum Patrem ; et sane Gnosticus hominem scientia et ratione praeditum designat* (Clem. Alexand. *Strom.* I, 345) ».

2. Ethnici quoque habebant nomina propria ad Christianos designandos, quae tamen sui adversus illos odii significatio erant. Ipsis enim Christianus idem erat ac *atheus*. Acilius Glabrio Consul capite fuit damnatus propter Atheismi crimen: formula autem contra Christianos haec erat: *Tolle atheos*.

Haec calumnia confutata fuit a S. Iustino (*Apolog. I*), a Tatiano (*Orat. ad Graecos*), a Tertulliano (*Apol.* X). Legitur Nerva, rescissis actibus antecessoris sui Domitiani, non permisisse aliquem accusari de impietate, scilicet, non permisisse accusari Christianos tamquam impios, seu atheos. Cum Constantinus amplexus fuit christianam religionem, non amplius potuere ethnici Christianos atheos vocare, sed acquieverunt eos vocando generica locutione *Cultores Dei*, et *Religionem Dei* christianam religionem. Quamobrem Simmacus, ethnicus, volens significare maximum optimatum numerum Beneventanae civitatis esse Christianorum, scripsit: « *Deum magna pars eorum veneratur* (*Epist.* I, 3, ed. Parei). »

Plebs alios titulos invenit ad Christianos illudendos, qui Graecorum ludibrio dicebantur *Graeci impostores* et sub hoc titulo ab Ulpiano proscripti fuere (*Digest. lib. I, tit. XXII c. I*). — Dicebantur *sermentitii* et *semaxii*, eo quod martyres igni traderentur, eorumque corpora alligarentur ad palum, quem Romani *semaxin* vocabant, et sermentorum igne urerentur.

Dicebantur *natio latebrosa* et *lucifugax*, quia noctu conveniebant ad sua officia: et quia honores et munera spernebant, vocati sunt etiam: *Muta in publico natio, inutiles reipublicae* et *infructuosi in negotiis* (Caecil. apud Minut. C. 8. — Tertull. *Apol.* c. 42). Praeterea in lexico odii adversus Christianos isti tituli scripti sunt: *Hebetes, Obtusi, Rudes, Idiotae, Indocti, Fatui, Obstinati, Perditae atque illicitae factionis, verdones, mali daemones, malefici, factiosi, sacrilegi, rei laesae divinitatis atque imperii, contemptibiles, odio generis humani convicti, homicidae, pessimi; rei omnium scelerum, biothonati, agrestes, plautinae prosapiae*. Quibus Iulianus Apostata alium addidit, eos vocans *Galilaeos*. Communiori autem ac turpiori titulo nuncupabantur *Asinarii* et *Asinicolae*, quia accusabantur caput asini adorare. Ce-

lebris est *graphis*, quae extabat in cubiculo domus Severi in Palatino, abhinc paucos annos inventa, referens virum crucifixum, caput asini habentem, cum hac inscriptione: *Alexamenos Deum adorat*. In quadam antiquissima gemma videtur insculptus asinus stans, coopertus pallio, dextero pede erecto, instar paedagogi qui docet coram duobus auditoribus (Stefanoni: *Gemmae antiquae* — Venezia 1626). Tertullianus in libro ad *Nationes* (lib. I, c. XIV) hoc narrat: *Quidam perditissimus in ista civitate* (Alexandria) *etiam suae religionis desertor, solo detrimento cutis Iudaeus, utique magis post bestiarum morsus, quas se locando quotidie toto iam corpore decutit, cum incedit picturam in nos proposuit cum ista proscriptione:* Onochoetes, *Is erat auribus canteriorum et in toga, cum libro, altero pede ungulato, et credidit vulgus Iudaeo* (1).

Memoranda sunt quoque verba, quibus Christiani ab Ethnicis designabantur nempe *Asini portantes mysteria*.

Neque putandum hos titulos Christianis datos esse ab aliquo Ethnico maiori furore percito adversus eos, aut a sola plebe, nam etiam ab eruditioribus dabantur, qui cum illos non bene cognoscerent, reos aestimabant criminum quibus accusabantur.

Ipse Marcus Aurelius, Philosophus, fidem adiungebat accusationibus in Christianos, quibus, sicut ceteri, imperii calamitates tribuebat. Nec mirum, nam ea erat tunc temporis credulitas, ut omnibus etiam stultissimis aut foedissimis accusationibus fides adhiberetur; praeterea tali odio Ethnici a daemone pulsi prosequebantur Christianos, ut ad eos evertendos non solum scelestissimorum et ridiculissimorum, sed etiam impossibilium criminum accusarentur: bene enim sciebat qui primus accusationem intentabat, hanc esse prompte excipiendam et brevi per omnium ora ubique vulgandam.

3. Nunc nonnulla dicenda veniunt circa nomen proprium

(1) In Apologetico (c. XVI) eadem narrat: «Quidam frustandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum eiusmodi inscriptione: Deus Christianorum Onochoetes. Is erat auribus asininus, altero pede ungulatus, librum gestans et togatus.... Itaque in tota civitate Onochoetes praedicatur».

uniuscuiusque fidelis. Generatim gentiles, qui fidem christianam amplectebantur, nomen quod antea habebant, etiam post baptismum susceptum, retinebant. Si vero aliud nomen sumebant illud antiquiori adiungebant, utentes formula, *qui et, quae et*. Unde habemus: *Masculae, quae et Galatea; Asellus, qui et Martinianus*. Sanctus martyr Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, nomini suo addidit illud sancti presbyteri Caecilii, qui illum ad fidem convertit; et hystoricus Eusebius suo nomini adiunxit illud sancti martyris Pamphyli. Ideoque nomina Christianorum aliqua erant communia cum gentilibus, et desumpta erant 1.° *a Deorum* nominibus, uti: *Apollo, Apollonius, Venerius, Bacchus, Saturninus, Aphrodisius*, etc. 2.° Ab *auspiciis*, uti: *Desiderius, Felix, Profuturus*, etc. 3.° Ex *numeris*, uti: *Primus, Secundus, Quartus, Octavius*, etc. 4.° Ex *coloribus*, uti: *Albanus, Albinus, Rufus, Candidus*, etc. 5.° Ex *animantibus*, uti: *Agnes, Aquila, Lea, Columba, Lupus, Porcius*, etc.: ubi notandum est in inscriptionibus funereis nomina haec saepe expressa esse cum imagine ipsa ex qua desumpta sunt: unde ex. gr. pro *Capreole* imago habetur *caprae*, etc. 6.° Ex *artibus*, uti: *Agricola, Rusticus, Silvanus*, immo et *Stercorius*, etc. 7.° Ex *floribus*, uti: *Florus, Narcissus, Rosarius*, etc. 8.° Ex *rebus marithimis* et ex *fluminibus*, uti: *Marinus, Navira, Pelagius, Cydrius, Rhodanus, Nilus, Orontius*, etc. 9.° Ex *pagis et civitatibus*, uti: *Afra, Chalcedonius, Sabinus, Sebastianus*, etc. 10.° Ex *mensibus*, uti: *Ianuarius, Iulius*, etc. 11.° Ex *qualitatibus moralibus*, uti: *Agathon, Benignus, Bona, Clemens, Pudens, Verecundus*, etc. Aliqua vero nomina propria Christianorum erant, illaque desumebant vel ex *Dogmatibus*, uti: *Redemptus, Spiritus, Anastasius* etc., vel ex *festis ritibusque* Ecclesiae, uti: *Epiphanius, Paschalis*, etc., vel ex *christianis virtutibus*, uti: *Agapis, Elpis, Elpidius, Spes, Adelphius*, vel ex qualibet *Christiana idea*, uti: *Cyriacus, Deogratias, Theophilus, Gaudentius, Liberatus*, etc.

Saeculo quarto adveniente Nicaena Synodus prohibuit quominus fidelibus nomen aliquod: quod ab aliquo Sancto, praecipue Martyre, usurpatum non fuisset, imponeretur (*Can. XXX.*): et S. Ioannes Chrysostomus praxim hanc valde commendat.

Mulieres iam a saeculo V nomen *Mariae* dilexerunt; unde in quibusdam istius temporis inscriptionibus legitur: *Livia Maria in pace; Mariae Rufinae, Maria venerabilis* (sic). In coemeterio Trasonis inscriptio inventa fuit ubi nomen hoc legitur: *Anna*. Exemplum perrarum. Christiani in Oriente degentes nomina ex V. Testamento desumpta diligebant, unde saepe saepius invenitur: *Helias, Ieremias, Samuel, Daniel, etc.* In Occidente aliqua nomina item ex V. T. usurpata inveniuntur, uti: *Susanna, Rebecca, Helias;* sed, primo excepto, rariora sunt.

In incerto est quo die Christiani nomen filiis suis imponebant. Apud Graecos, uti ex Euchologiis eruitur, die octava; apud Latinos res dubia est. Videtur tamen Christianos secutos fuisse praxim gentilium illam a superstitionibus, quibus ornata erat purgantes, imponendi nomen die nona a nativitate.

(iba)

(*Continuabitur*)

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER SACRIS RELIQUIIS.

VI.

Anselmus Episcopus Ordinarius sacrae dans operam visitationi, animadvertit in altera suae dioecesis Ecclesia corpus extare fere integrum cuiusdam S. Martyris, ab aliquibus annis e quibusdam romanis catacumbis extractum, ac relativis litteris testimonialibus munitum: quod idem nihilominus certa scientia dignoscit in alius Ecclesia dioecesis, a qua ipsemet translatus fuerat, veneratione haberi. In alia autem Ecclesia

nullas amplius Reliquias reperit, quippe quas fortuitum incendium absumpserat. In alia denique authenticas quidem accepit extare Reliquias, sed singulari quodam casu aliis immixtas, quas Praedecessor suus uti falsas aut suspectas iam interdixerat. Nunc autem cum de his sacris Reliquiis officium et Missa in praefatis Ecclesiis hucusque recitata fuerint, anceps haeret Episcopus, utrum continuari nec ne debeant, cum vel nullae illae sint, vel falsae vel incertae. Eapropter ad ecclesiasticum quemdam sibi notum, Liturgiae et Archaeologiae sacrae peritum dat epistolam, et *inquirit:*

1.° *Quae et quot sint certa signa, ex quibus Corpora Ss. Martyrum a catacumbis proxenientia dignoscuntur?*

2.° *Episcopus loci quiescere ne potest in litteris testimonialibus ab E.mo Urbis Vicario confectis, vel a praedecessore suo, quin alias ipsemet conficere teneatur aut valeat, quod attinet authenticitatem sacrarum Reliquiarum?*

3.° *Continuari ne potest officium Reliquiarum, quas vel ignis absumpsit, vel aliis immixtae, quae falsae sunt, vel interdictae fuerunt ab Episcopo loci?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Henrici Benedetti Pontif. Seminarii Romani alumni, habita in Ecclesia Congregationis

Missionis prope Curiam Innocentianam, die 9 Februarii 1898; acta Epitome per R.mum Dom. Carolum Respighi Caerem. Apostolic. Magistrum.

I. Quae et quot sint certa signa, ex quibus Corpora Ss. Martyrum a catacumbis provenientia dignoscuntur?

Eximia priorum fidelium religio in sanctos Christi confessores, qui sanguinem pro eo fundere non dubitarant, feliciter eos persuasit, ut, maxima, quae adhiberi poterat, cura, sacrorum corporum reliquias, veluti pretiosissima caritatis monumenta, asservarent. Hinc quamplurimos ad martyrium fortiter allici, virtus namque priorum, muto loquentibus sermone ad corda lipsanis, in novos transibat athletas. Verumtamen haec fidelium aviditas oppositores habebat Martyres ipsos, qui rei conscii, mortem subituri, christianas communitates enixe rogabant, ne suorum corporum reliquias inter sese, devotionis ergo, dividerent. Et, ne verba repetamus, quae in testamento legimus quadraginta Martyrum Sebastae (V. *Comment. Bibl. Caesar. lib. V, p. 410*) potius proderit, eius rei meminisse, quam narrat Prudentius, quod nempe Fructuosus Episcopus, martyrio cum suis Diaconis Augurio et Eulogio consumptus, apparuit nonnullis fidelibus, qui religionis causa aliquas abstulerant eius corporis reliquias, praecipiens, ut una simul recollectas sepelirent. Exinde maxima, quam Romana Ecclesia adhibuit, cura intacta servandi Sanctorum corpora, nec non locum prioris sepulturae immutatum relinquendi. Orientales Ecclesiae non ita; passim novimus ab eis sacras Reliquias distributas. Qui mos temporis delapsu etiam ad occidentem transiit. Saeculo VII, in Galliis praesertim, corpora dissepeliri coeptum est. Saeculo vero IX eo usque ardor iste succrevit, ut christianae catacumbae depopulatae plane fuerint.

Zelus huiusmodi immoderatus probari haud poterat;

inter alia, inquirere oportebat : an omnia, quae in catacumbis inveniuntur, corpora sint Martyrum nec ne ? Et adhuc : an omnia item corpora, quae aliquo distinguuntur martyrii signo, sint Sanctorum Martyrum ab Ecclesia probatorum ? Scientiae archeologicae christianae auxilio, solutionem harum quaestionum dabimus. Prolixa relinquentes argumenta, conclusiones ad rem nostram facientes seligimus. Certum est in primis christiana coemeteria, praeter Christi confessores, in loculis excepisse et alios fideles, qui sanctis Martyribus devoti sepeliri cupiebant secus sacras eorum Reliquias. Certum est quoque non omnes Martyres a Christifidelibus cultum recepisse, qui tantummodo tum temporis legitime exercebatur, cum Martyr declarabatur *vindicatus*. Duo inter alia supersunt huius rei exempla ; unum ab historia traditum, aliud ex quodam monumento. Novimus sane origines schismatis Donatistarum in Africa referri, ex parte, cuidam Lucillae nobilissimae feminae, quae contra Episcopum Carthaginensem Caecilianum insurrexit, a quo, tunc Diacono, redarguta fuerat, quod ante communionem osculata fuisset ossa cuiusdam Martyris, nondum ut talis ab Ecclesia recogniti : *Etsi Martyris, sed nondum vindicati*.

Hic autem, Romae, ingredientibus *Cryptam Pontificum* in Coemeterio Callisti, inter loculos, qui summorum Pontificum corpora saeculi unius spatio exceperunt, manifesta fit vindicatio Martyrum in Epitaphio Fabiani Papae graece scripto : FABIANOS EPI, addito MAR, charactere diverso. Cuius, rei reperitur ratio in eo, quod sanctus Pontifex nonnisi plures post annos vindicari potuerit; etenim, romana Ecclesia, post illum decem annis permansit viduata Pastore, cui uni ius inerat in numero sanctorum Martyrum inscribendi, ut cultum et veneration nem exciperent fidelium, defensores fidei quantumvis gloriose defunctos.

Ergo, si non omnia, quae in catacumbis inveniuntur, corpora, sunt corpora Martyrum; imo, si certa res est, minorem horum corporum numerum esse sanctorum Martyrum; si non omnes Martyres cultum habuerunt, vindicatione mediante; quibusnam criteriis dignoscetur, aut confirmabitur seu etiam negabitur alicuius Martyris cultus? Ut ordinatim procedamus, criteria primum indicabimus ad Martyrem distinguendum, ab eo, qui tali qualitate non fulget, inde alia item criteria statuemus ad discernendum, utrum cultus ipsi debeatur an non. Et hoc prae oculis haberi debet: Martyris corpus aut consideratur iam e catacumbis extractum, aut adhuc in coemeterio requiescens et de eius elevatione agitur.

Signa, quae olim tamquam certissima habebantur ad Martyrium comprobandum haec erant: nomen Martyris datum fideli sepulto; palmae figura in sepulcrali lapide incisa; coronae seu in ipso lapide, seu in tectorio opere signatae; ampulla sanguinis; monogramma ☧. Ex his omnibus tamen certiora nunc dicenda sunt tantum Martyris titulus et ampulla, dummodo sanguine tincta.

Quod titulum respicit Martyris nullum dubium, perraro invenimus integre scriptum; saepius contractum videmus, aut siglis expressum, vel etiam tantummodo indicatum unica initiali littera M. Interdum imo invenimus hanc ipsam litteram inter litteras positam, quae nomen exprimunt Martyris. Ita ex. gr. in Caemeterio Priscillae videre est nomen VERE M CVNDVS, littera M interpolatum, quae Martyris initium est. Verumtamen, si hoc signum constanter inveniretur, quaestio resoluta esset, non omnes tamen Martyres hac nota distinguuntur. Unde ad alia recurrere necesse est. Certum indicium non praestat constantinianum monogramma ☧, quod nonnulli praesumunt interpretari: *Pax Christi*, seu: *Pro Christo passus* namque etsi monogramma istud etiam ante Constantinum

adhibitum fuit, sed perraro, tamen commune tantum evasit post pacem datam Ecclesiae; unde fere semper indicium praestat, monumentum seu sepulcrum ad postconstantinianam epocham pertinere. Nec dissimiliter excludimus coronas cuiuscumque speciei, seu incisas, seu graphitas, ut aiunt, eo quod et pagani eis usi sunt, et ad summum, innuunt coronam iustitiae, qua omnes electi, etiamsi Sanctorum in nostro sensu coetui non adscripti, coronantur, iuxta illud Pauli : « *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* » Quod idem dicito de palmis ; si aliis Martyrii indiciis iunguntur optime rem magis confirmant, sed solae nil probant. Instrumenta ipsa una cum corpore sepulta non semper indicium praebent Martyrii. Ex Sacra Rituum Cong.ne cultrum tantum, si sanguinis vestigia praeseferat, admittitur. Ampulla demum sanguine tincta certum est argumentum Martyrii. Scimus revera antiquos fideles sanguinem collegisse quem Martyres fundebant, ad memoriam passionis conservandam : « Tenemus sanguinem, qui testis est passionis, » ait Gaudentius a Brixia; et non modo scimus apud se reservasse, sed intra sepulcra ipsa Martyrum posuisse. Pretiosum iudicamus monumentum inscriptionem quandam in Africa repertam, quae ita se habet : « Depositio cruoris sanctorum Martyrum, qui sunt passi sub praes. Floro, in civitate Milevitana in diebus thurificationis ». Non tamen cum his confundenda sunt fragmenta vitrea phialarum seu ampullarum, quae frequenter inveniuntur prope aut supra christianorum sepulcra in catacumbis : non enim ea sunt aliud, nisi vasa ad domesticos, seu sacros usus adhibita, et forsan etiam in agapibus, quod et ex symbolicis figuris manifestum fit, quas inibi expressas videmus, et ex acclamationibus, quae ibi pariter circumleguntur. Imo saepe ad aromata sunt adhibita, quae in corporum depositionibus afferebantur. Sed cur vitra eiusmodi super sepulcra ? Ad distinguendum unum ab altero, prae-

cipue nisi inscriptionibus signata essent, atque ita superstites defuncti ad orandum venientes cito invenirent; item ad sepulcra ipsa exornanda; item ad bona defuncti opera designanda, quae nimirum in vasis etiam pictis seu incisis symbolice repraesentabantur. Sed et dici possunt ea vota apposita fuisse ad odores diffundendos per coemeteria, in quibus gravcolentis aeris necesse erat perdere effectus. Unde phialarum fragmenta, nisi patentia ferant sanguinis signa, martyrii testimonium non praebent. Quod Sacrae Rituum Congregationis Decretis confirmatur.

Sed alia suppetunt signa, quae nos ducere possunt ad Martyrum sepulcra dignoscenda. Scimus sane vetustissimum viguisse morem ante Martyrum sepulcra lampades accendendi, quae oliis balsamicis nutriebantur ; locum insuper in tanta veneratione habitum, ut ad sepulturam quam frequenter eligeretur, interdum quoque magni acquisitum. Ideoque, si ante aliquod cubiculum, si prope quoddam arcosolium videmus cippos, columellas seu horum fragmenta, quae ad lampades sustinendas adhibebantur ; si item videmus quodam in loco frequentia sepulcra, ob quae interdum mutilatas seu deformatas picturas praecedentis temporis, affirmare possumus haud longe a Martyris alicuius sepulcro nos abesse.

Quum autem sermo habendus est de corporibus iam a coemeteriis extractis , criteria authenticitatis hic omittimus , eo quod et in casu iam in 1° fasciculo huius anni resoluto inveniuntur , et nunc nimis nos occuparent, ac proinde disciplinam tantum in Ecclesia hodie vigentem, quoad Episcoporum facultatem, breviter exponemus.

II. Episcopus loci quiescere ne potest in litteris testimonialibus ab E.mo Urbis Vicario confectis , vel a praedecessore suo , quin alias ipsemet conficere teneatur aut valeat, quod attinet autenticitatem sacrarum Reliquiarum ?

Clemens X in sua Constitutione « Ex commissae »,

post demandatam E.mo Cardinali Urbis Vicario facultatem sacras Reliquias inquirendi in coemeteriis christianis, statuit eundem Cardinalem, debere adiuvantibus rei peritis viris, locum originis Reliquiarum examinare et, inscriptiones, nec non utrum haec ea signa praeseferant, quae S. Congregatio Cardinalium Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositorum designaverit tamquam certa Martyrii. Post recognitam Reliquiarum authenticitatem, ac documenta vel a Summo Pontifice vel a Sacra Cong.ne Indulgentiarum et Reliquiarum prolata, eas legitime distribuere et ad publicam venerationem exponere poterit. Unde si quae Reliquiae e romanis coemeteriis extractae Roma mittuntur E.mi Urbis Vicarii testimonio rite signato munitae, eas recipientes quiescere poterunt, quod authenticitatem attinet. Id tamen minime impedit quominus possit Episcopus novum examen instituere super Reliquiis; Tridentinum enim statuit, novas Reliquias non esse recipiendas nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo. Quod item agere potest super Reliquias a suo praedecessore approbatas, cum aliquod superveniat dubium de earum authenticitate. Et sane S. Cong.tio Indulgentiarum et Reliquiarum statuit, quod quilibet Episcopus in sua Dioecesi quascumque sacras Reliquias, *nulla excepta*, valeat authenticare. Sed observandum est, tunc Episcopum vere et proprie non dare alteram approbationem Reliquiis iam Romae approbatis, sed tantum inspicere, an aliqua patrata fuerit fraus. Ita Sixtus V in octogesima octava Constitutione « Dominus », per Sacram Reliquiarum Cong.nem emissa die 19 Octobris 1591. Sed et nuper E.mus Urbis Vicarius, datis mense Februario anni 1881 epistolis, rem animadvertit, Decretum S. Cong.nis Indulgentiarum et Reliquiarum referens, quo fideles vetantur Reliquias emere, quas homines « catholicae fidei osores et turpis lucri avidi undequaque exquisitas et arreptas, et authenticitate pollentes Romae po-

tissimum magno fidelium, et maxime advenarum scandalo, vendere non erubescunt ». Lamentatur insuper eam fraudem, qua perditissimi homines, « arculas ad instar veterum et legitimarum, cum ossibus suppositiis ita composuerunt, ut legitimis similes essent, neque veriti sunt ipsas authenticas literas eadem fraude et arte confingere, quo pacto plures in dolum induxerunt ». Concludit monens Episcopos magna cautela excipere debere corpora Sanctorum, quae desumpta dicuntur e catacumbis romanis, eaque uti suspecta habere, donec certiores fiant de eorum authenticitate.

III. Continuari ne potest officium Reliquiarum, quas vel ignis absumpsit, vel aliis immixtae, quae falsae sunt, vel interdictae fuerunt ab Episcopo loci ?

Si ageretur de novo inducendo officio, ratione Reliquiae insignis nunc igne combustae, quod tamen nunquam antea recitatum fuerit, cum esset integra, certum est non posse; non enim amplius haberetur Reliquia insignis ; sed cum inquiratur de officii continuatione, quod iam recitabatur ob Reliquiae insignis possessionem, res aliter se habet, et legitime recitatur, etiamsi ignis Reliquiam combusserit. Et re quidem vera, conditio possessionis Reliquiae et eius insignitatis apponitur cum agitur de novo festo inducendo, sed in casu agitur, de eo continuando. Dubitatur autem ob causae concessionis cessationem; huiusmodi dubium tamen nihili faciendum est, quia secus plurima abroganda essent festa, si cessatio causae, ob quam introducta fuerunt attendenda esset ; unde festum semel introductum iam possidet, ergo perenniter continuabitur. Id a fortiori valeret in casu concessionis peculiaris a S. Rituum Congregatione factae, officii recitandi ob Reliquiam non insignem ; tunc enim Reliquia nonnisi secundum quid causa extitit institutionis officii, sed praecipue S. Sedis Indultum.

De Reliquiis authenticis cum falsis immixtis dicendum : si possibile sit eas discernere, separari omnino debent ; sin autem adeo immixtae sunt, ut discerni non possint, continuari licite valet officium, cultus enim non afficit falsas Reliquias sed tantum veras et approbatas. At si Reliquiae interdictae sint ab Episcopo, tunc recitari officium nullatenus potest, deficit enim approbatio a S. Sede requisita ; non enim amplius approbatum appellari valet id quod interdictum fuit.

Concludimus Anselmo Episcopo respondendum esse : quoad S. Martyrem, cuius corpus certa scientia dignoscit in alius Ecclesia Dioecesis veneratione haberi, examen instituat circa litteras E.mi Urbis Vicarii, et circumstantias translationis ; interim nihil innovandum, ne scandala suboriantur ; veritatem assequutus continuationem officii permittat aut prohibeat, prout res feret. Quoad Reliquias, quas fortuitum incendium absumpserat, si iam officium possederant, continuari permittat : si autem nunquam recitatum fuerit, illud instituendum non sinet. Quoad demum Reliquias aliis immixtas et interdictas a praedecessore, si separari possint verae a falsis, id faciat et concedat, prout de iure, officium ; nisi autem separari valeant, interdictum auferre posse autumamus et adhuc continuationem seu institutionem officii concedere, cultum dirigens ad authenticas tantum.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Ariano in Apulia.* **Nonnulla Dubia super Associatione Cadaverum Confratrum Tertii Ord. S. Francisci.** 1. Si Consoror T. O. S. F. moriatur, tenentur ne Confratres, etsi Sacerdotes et viceversa, ad illius associationem et exequias se conferre?

Resp. Negative; in regula enim Tertii Ord. S. Francisci nihil de eiusmodi praesentia legitur. Optime tamen sive Confratres sive Consorores se gerent, quotiescumque dictis funeribus intersint; caritatis enim, tam erga alios, quam in seipsos, exempla exhibebunt.

At nota, si Confratres Tertii O. S. F. sint Sacerdotes, dictisque funeribus interfuerint, eos debere interesse una cum aliis Sacerdotibus collegis suis, haud vero cum Confratribus T. O. S. F., nisi horum habitum proprium induant. Hoc enim in casu Sacerdotes, non uti tales, sed uti Confratres intersunt. Cumque Tertius O. S. F. sit vere et proprie Ordo, nil obstat quominus huius habitus sacerdotali praeferatur in casu, prouti consuetudo fert.

2. Confratres T. O. S. F. in Associationibus gaudentne praecedentia super Congregatione, quae dicitur *delle Figlie di Maria?*

Resp. Affirmative ex generali regula, vi cuius T. O. S. F. prae aliis quibuscumque Confraternitatibus praecedentia gaudet in omnibus processionibus. Satis sit referre Decretum 28 Maii 1886, quo declaratur: « Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis S. Congnis Episcopor. et Regular. diei 20 Sept. 1748, **Tertiariis Franciscalibus** coetum constituentibus, nempe pro-

prio habitu indutis ac sub cruce incedentibus, **ius inest praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates** (Dubii) ».

3. Sacerdotes facultatem habentes recipiendi ac dandi Absolutionem, hanc ne dare possunt extra Congregationem, et sine Directoris permissu ?

Resp. Si absolutio detur sub forma privata, affirmative : si agitur de Absolutione sub forma publica, negative ; hoc enim in casu et intra Congregationem danda est, et soli Directori eam dare competit, vel alii de eius licentia.

II. *E Dioecesi Atrebatensi.* **De Missa conformi officio loci in Hospitalibus Sororum Franciscalium.** Moniales Franciscales Congregationis Caletensis a pluribus saeculis in particularibus monasteriis existentes, sed uti constituentes peculiarem Congregationem, a Sancta Sede, per varia decreta, paucis abhinc annis approbatae fuerunt. In singulis suis domibus (circiter 80 in diversis regionibus) illae Moniales habent sive Oratoria privata, seu Oratoria publica, sive etiam veras Ecclesias, in quibus possunt assistere sancto Sacrificio, asservare sacram Eucharistiam et vacare divino cultui praesertim sacri officii B. Mariae Virginis, quod recitant cum annexis hymnis et commemorationibus Sanctorum Ordinis S.ti Francisci secundum Breviarium et Calendarium Fratrum Min. Capuccinorum ex concessione S. Sedis per Sacram Rituum Congregationem facta sub die 8 Maii 1882. Haec Oratoria seu Ecclesiae gaudent omnibus indulgentiis et privilegiis ceterarum Ecclesiarum Ordinis Franciscalis, iuxta varias SS. Congregationum decisiones, et omnes fideles illuc conveniunt ad lucrandas Ordinis indulgentias, quin unquam ullum exortum sit dubium.

Sed nuper post recentes S. Rituum Congregationis decisiones circa celebrationem Missarum in aliena Ecclesia, quidam Sacerdotes quaesierunt utrum in istis Sanctuariis

Missae celebrandae sint iuxta Missale et Calendarium Franciscano-Capuccinum aut iuxta Missale et Calendarium dioecesos.

Et quidem dictae Sorores vacant operibus caritatis in domibus multis, quarum aliae pertinent ad Congregationem, aliae vero ad civitates seu administrationes vel etiam ad benefactores, ita ut in ipsis Sorores sint solummodo ad ministrandum infirmis et proinde Ecclesiae sint domorum et non Sororum. Inde diversa esse potest responsio. Unde quaeritur :

1° Quaenam Missa celebranda est in Ecclesiis seu Oratoriis, quae sunt Sororum Franciscalium proprietas ?

2° Quaenam Missa celebranda est in Ecclesiis seu Oratoriis hospitalium seu domorum, in quibus Sorores Franciscales curam habent infirmorum et ipsarum Ecclesiarum seu Oratoriorum ?

3° Utrum haec secundi generis Oratoria gaudeant privilegiis et indulgentiis Ordini Franciscano concessis ?

Resp. 1. Nulla fieri potest quaestio super Missis, quae celebrantur in Ecclesiis aut Oratoriis Sororum Franciscalium. Hae namque Missae, a quocumque Sacerdote in illis celebrentur, conformes esse debent Calendario ipsarum Sororum proprio, sicut hucusque factum est.

Ut veritas responsionis manifesta fiat, animadvertendum est, ex iure novo Missam debere semper convenire cum officio loci, nempe Ecclesiae aut Oratorii publici, haud vero cum officio Celebrantis, uti ex iure praeterito generaliter fiebat, si Oratorium privatum excipias. Cum autem agatur in casu de Sororibus seu Monialibus Franciscalibus, peculiarem coetum, hoc est Congregationem constituentibus, quaestio huc reducitur, an dictae Sorores gaudeant Calendario proprio, quod sequi tenentur, an non. De Ecclesiarum enim vel Oratoriorum proprietate discussio non venit, quia in ipso dubio supponitur. Verum et

ipsum Calendarium proprium supponitur in praecedenti expositione dubii : « secundum Breviarium et Calendarium Fratrum Min. Capuccinorum ex concessione S. Sedis ». Ergo habetur in casu Ecclesia propria, habetur Calendarium proprium, proprietas autem ista ad Moniales Franciscales pertinet. Quid proinde aliud requiritur, ut Sacerdotes in illis Ecclesiis facientes Missam, eam dicant Calendario loci conformem ? Nonne dictae Moniales aliis plane assimilantur etsi sub clausura degentibus, in quarum Ecclesiis quaevis Missa debet nunc respondere Calendario, ad quod illae tenentur ?

Sed fortasse obiici potest, Sorores Franciscales non recitare officium diei currentis, iuxta Calendarium Ordinis S. Francisci, sed officium B. M. Virginis ; ergo, cum in officio recitando non sequantur Calendarium proprium, ius non habent ut Sacerdotes in earum Ecclesiis celebrantes, Missam dicant conformem officio, quod ipsae non recitant. Sed reponimus, verum quidem esse, praefatas Sorores officium diei currentis integrum non recitare; sed hoc haud obstante, optimo iure dicimus, Sacerdotes in dictis Ecclesiis celebrantes ad Missam eidem officio conformem teneri. *a*) Quia, si dictum officium Franciscales non recitant, id accidit ex dispensatione Summi Pontificis; tenentur tamen ad officii currentis, iuxta Ordinis Calendarium, quotidianam commemorationem ; ergo officium diei, licet non integrum, recitant, quantum eis scilicet occupationes sinunt, et dispensatio indulsit. *b*) Ius Calendarium proprium sequendi, et officium iuxta illud recitandi, separari possunt, saltem per accidens, ut in casu ; cum nihilominus Missa semper eidem officio respondere debeat. *c*) In pluribus Ecclesiis nullum dicitur officium, extat tamen onus sequendi Calendarium loci, quod dictum officium praescribit: quare ? Profecto, quia Calendarium Ecclesiae principalis, sicut et officium quod in illa dicitur, pertinet quoque ad di-

ctas Ecclesias. A pari in casu ; officium in istis Franciscalium Ecclesiis non dicitur ex dispensatione, sed ius habent et onus ad Calendarium sequendum, dictum officium praescribens, quod ad Ordinem pertinet. Ergo Sacerdotes in dictis Ecclesiis celebrantes, Missam debent facere conformem Calendario Monialium, seu loci, in quo ipsae degunt.

Resp. 2. Sorores Franciscales, in casu addictae sunt hospitalibus, in quibus curam habent infirmorum, ipsarumque Ecclesiarum aut Oratoriorum ad hospitalia pertinentium. Sunt ergo tamquam famulae, non dominae, ut ad eas, neque Hospitalia neque Oratoria pertineant. Eapropter distinguimus : aut tota cura hospitalium ita ipsis est commissa, ut haec, licet aliena, tamquam propria haberi possint, si onus excipias reddendi rationem relativis superioribus, aut non. Si primum, eamdem atque ad primum dubium responsionem damus ; quia hic non agitur de proprietate materiali domus, de infirmis aere proprio curandis etc., sed de qualicumque hospitalis possessione seu occupatione, saltem de facto, in quo hospitali degunt, uti si vera esset ac iuridica earum proprietas. Hoc namque in casu eadem in conditione versantur ac Regularium familia aliqua, cui Episcopus integram curam committit, puta Seminarii, Collegii etc. Episcopus sane nec Seminarium illi aut Collegium donare intendit, sed illius potestati tradit, necessariis sibi iuribus reservatis. Huiusmodi Seminarium aut Collegium illius de facto censetur Regularis familiae, cum indubie ad Episcopum pertineat ; et nihilominus dicta Regularis familia omnia in eo iura exerceret, et si proprium Calendarium haberet, illud teneretur sequi, ad ipsumque tenerentur, quoad Missam, Sacerdotes, qui in Ecclesiam vel Oratorium illius celebratum accederent.

In altera hypothesi, distinguerem : Si agitur de Ec-

clesia aut Oratorio hospitalis proprio, quod nullo pacto ad Sorores Franciscales pertineat, neque eaedem aut vix illo utuntur, tunc Sacerdotes ad illud pro celebratione accedentes, tenentur sequi Calendarium loci, seu dioecesis, in qua est hospitale. Si vero agitur de Oratoriis aut Capellis Monialium propriis, licet in hospitalibus erectis, tunc Sacerdotes Missam in iis facient iuxta Calendarium Monialium ; ratio patet.

Resp. 3. Affirmative, si Oratoria sint Sororum Franciscalium propria, ut in secunda hypothesi ad mox solutum dubium exposuimus. Ratio est, quia cum vere ea ad dictas Moniales pertineant ; sintque earumdem propria, necessario gaudere debent omnibus privilegiis et indulgentiis Ordini Franciscalium adnexis.

III. *E Mantuana Dioecesi.* **De precibus in Rituali praescriptis post Communionem infirmi.** Postquam redierit populus in Ecclesiam Sacramentum comitandi causa, quod alicui infirmo delatum est, Sacerdos tenetur ne adhaerere Rituali, vi cuius, dicto versu *Panem de caelo* etc. et Oratione, functionem debet absolvere, populumque dimittere ?

Resp. Iis cogimur adhaerere, qui tenent, Rituale in casu praescribere id quod non est omittendum, seu quid minimum faciendum : quin tamen prohibeat consuetam ac fere universaliter inductam consuetudinem canendi *Tantum ergo*, et reliquos actus adorationis vel laudis, uti *Vi adoro — Dio sia benedetto*, etc., cum quibus de more absolvitur in Italis Ecclesiis benedictionis functio. Etenim certum est, has additiones non esse contra, sed praeter Rubricas : ut applicari possit notum effatum, **utile per inutile non vitiatur.** Equidem Rituale probe noverat, fidelium devotione, qui iam Sacramentum ad infirmum, inde autem ad Ecclesiam, ubi erat recondendum, comitati fuerunt, non esse abutendum. Supponitur enim, infirmi confessionem esse aliquando audiendam a Sacerdote ante Viaticum, iter

agendum esse posse plus minusve longum etc. Prudenter ergo quid minimum posuit, quod omnino convenit ne omittatur; sed noluit certe prohibere alias ex consuetudine preces, si populus devotus iis libenter assistit. Idque eo magis probandum si Sacramentum ad infirmum de sero deferatur; tunc enim rediens populus, pro visitatione Sacramenti libentius dictas preces cum Sacerdote recitat. Item tres *Pater*, *Ave* et *Gloria* optime respondent intentioni Ritualis, quod cupit Indulgentias annuntiari, ut melius illius fini satis fiat, quando dictae preces recitantur, eaedemque Indulgentiae de facto lucrari possunt. Eapropter iure credimus, eos qui praefatas preces addunt iis, quae in Rituali praescribuntur, non esse inquietandos.

At dices: Nonne melius foret simpliciter stare Rituali, uti docet Martinucci, cum De Herdt et aliis? Vel saltem non posset Episcopus unam statuere pro omnibus regulam, ut uniformitati consulatur?

Certe primum ex duobus modis melius foret, si delatio Sacramenti ad infirmum pro prima vice inciperet quasi de nova ageretur christianitate. At si usus iam invaluit dictas preces recitandi, quare abolendus foret? Dices ex uniformitate. Sed reponi potest, in rebus non praeceptis uniformitatis rationem haud nimis esse computandam. Hinc sequitur, ipsum Episcopum posse quamque Ecclesiam in sua consuetudine relinquere: quamquam, si praescriberet, ut quaevis Ecclesia staret Rituali, non auderemus censura notare.

Obtemperare legibus liturgicis citra dubium est optimus Sacramenti Eucharistiae venerandi modus, sed in casu vix applicari posset principium, quia qui aliquas addunt preces in casu, iuxta laudabilem morem, inobedientes dici nequeunt. Ne quid nimis.

IV. *Ex Hispania*. **De doxologiae qualitate in hymnorum coniunctione pro S. Ioanne Cantio.** Dum in officio S.

Ioannis Cantii hymnus Vesperarum cum alio Matutini iungitur, quomodo terminandus ?

Resp. Ex una parte, si officium careat, saltem a Cap. I. Vesperis, et etiám II.is, hymnus ad I Vesp. modo eiusdem sit metri atque illud Matutini, indubie coniungendus est cum isto iuxta Decretum in Romana d. d. 5 Febr. 1895 ad III. Ex alia vero unusquisque ex tribus hymnis S. Ioannis Cantii suam habet doxologiam propriam, uti videre est. Quaeritur ergo, hymno ad primas Vesperas coniuncto cum hymno ad Matutinum, quaenam adhibenda conclusio, an quae in primo, an quae in altero habetur propria ? Verum si doxologia hymni Vesperarum esset propria, altera hymni ad Matutinum de communi, quaestio fieri iure posset, cum propria, etsi primi hymni, videretur doxologiae communi praeferenda. At in casu utraque doxologia est quidem diversa, sed propria, ergo ut quid absoluto altero hymno, huius doxologiam relinquere, ut primi resumatur ? Ratio dictat, ut secundus hymnus integer dicatur cum sua doxologia. Arroges, quamvis doxologia hymni Vesperarum sit propria, quia ab alio hymno, cuius erat etiam propria fuit desumpta; nihilominus magis propria altera hymni ad Matutinum, in quam ipse Ioannes nominatur. Hinc nulla suppetit ratio ad hymnum Vesperarum pro doxologia redeundi, et rectus sensus dictat, ut secundus hymnus cum sua doxologia recitetur.

V. *E' Corleone.* **De festo S. Michaelis Arch. Titulari.** Ecclesia B. Deo fuit dedicata in honorem S. Archangeli Michaelis. Nunc quaeritur : cum S. Michael duas habeat festivitates, hoc est alteram die 8 Maii *(Apparit.)*, alteram 29 Sept. *(Dedicat.)*, quaeritur in quonam ex his duobus diebus celebrandum est festum S. Michaelis Titularis ?

Resp. Re perpensa in se ipsa, dicendum , non in die 8 Maii, quae Apparitionis festum memorat, sed potius 29 Sept. in qua Dedicatio recolitur, videlicet consecratio templi Romae in summo Circo, et omnium Angelorum memoria (Brev. Rom. 8 Maii). Harum enim duarum festivitatum

natura in se considerata, festum Dedicationis potius est quam festum Apparitionis; cum illud sit primarium, istud vero secundarium, idque etiam constat ex Catalogo festorum. Porro cum de Titulari agitur Ecclesiae, potius semper agitur festum, seu primarium, quod secundario indubie praeferendum est, nisi gravis in contrarium ratio suppetat. Consulas Guyetum Lib. I, Cap. VI, Quaest. XIV.

His haud obstantibus, quaerimus, quanam die hactenus celebratum est festum Titularis S. Michaelis? Non enim nuper eiusmodi templum aedificatum est. Servetur itaque consuetudo, quae gravioribus inniti potuit momentis: ut, si die 8 Maii, in ea, si 29 Sept. hucusque celebratum fuit Titularis festum, hac die celebretur. Non enim licet festos dies ad libitum mutare aut transferre ad alios, nisi leges occurrentiae id praecipiant; sed S. R. Tribunal adeundum foret pro mutatione obtinenda. Inferes, si dictum festum die 8 Maii celebratum fuit, in ea adhuc esse celebrandum: nec interesse, si in dioecesi dup. II classis occurrat, quia ut Titulus fiat, hoc dup. II cl. transferendum est. Hinc inutilis quaestio de colore, quia albus esse debet, ut S. Archangelo conveniat.

VI. *E Nola.* **De Ecclesiola subterranea non consecranda, consecrata superiori.** Hac in Cathedrali Ecclesia prope altare princeps duae sunt climacides convergentes et sibi obviam euntes, per quas patet accessus ad subterraneam cappellam, tribus altaribus ornatam, quae *Basilica* nuncupatur. In ea Ven. Corpus S. Felicis Mart. Nolani Episcopi ac Patroni magna veneratione colitur. Nunc quaero: Satis ne est Cathedralis Ecclesiae consecratio, ut praefata Basilica et ipsa consecrata maneat?

Resp. Affirmative, adeo ut inferior Cappella consecrari nec debeat nec possit. Ut veritatem fateamur, argumenta quaesivimus ex positivo iure, quae tamen reperire nobis datum non fuit, quamvis eius defectui vix fidem

adiungere valeamus. Sed nihil id obstare arbitramur, cum argumenta non desint ex rei natura etiam desumpta, ex quibus responsio affirmativa, ni fallimur, certa comprobatur. Et primo : in consecratione Ecclesiae Episcopus *intrinsecus* et *forinsecus* quampluries aspergit Ecclesiae parietes, seu in *superiori parte, seu in media parte*, seu *iuxta fundamentum :* haec explicite exigit Pontificale Romanum. Putasne parietes Ecclesiae haud benedictos remanere posse in aliqua eorum parte ? Id admitti non potest, quia benedictio moraliter afficit integros parietes sive in superiori, sive in media parte, sive in eorum fundamento. At ubi parietum fundamentum ? Si subtus principalem Ecclesiam alia habetur, haec est, quod parietes attinet, continuatio Ecclesiae superioris, uti per se patet. Ubi ergo fundamentum ? In ipsa Ecclesiolae inferioris parte. Ergo ad hanc quoque benedicendam cum aqua benedicta pergere debet Episcopus consecrans. Hinc de consecratione superioris Ecclesiae iam patet participare Ecclesiam inferiorem. Secundo : Ecclesiae huiusmodi generaliter saltem, nec portam habent, nec extrinsecam partem ; neque peculiaris pro iis consecrandis habetur Ritus in Pontificali Romano. Hoc profecto ostendit, sicut eas non esse consecrandas, ita superioris Ecclesiae, quae consecratur veluti; partem constituere, unaque cum superiori manere consecratam. Tertio: Ecclesiae subterraneae, supra quas extant aliae plus minusve maiores, multae sunt in Urbe, et satis sit recensere Basilicam Vaticanam, S. Laurentium Mart. extra moenia, Ss. Quatuor Coronatos, Basilicam Ss. XII Apostolorum: hae Ecclesiae, uti aliae plures, aliam subtus habent, quas aut consecratas separatas dicere potes, aut non. Si primum, quaero : ubi sunt cruces in earum parietibus ? Nusquam, cum nihilominus in crucium unctione essentialiter consistere Ecclesiae consecrationem definit Decretum *Lisbonen.* dicens : « Consecratio Ecclesiae maxime consistit in inungendis chrismate

duodecim Crucibus per Ecclesiam, et in proferendis illis verbis, **Sanctificetur et consecretur hoc templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc.** (*12 Apr. 1614, n.* **319** (486). » Cruces autem in his subterraneis Ecclesiis revera non esse patet ex facto. Obiicere fortasse poteris, cruces ideo in subterraneis Ecclesiis non apparere, quia antiquitus non erant, quod duodenarium saltem numerum attinet, in usu. At exempla Ecclesiarum allata ferunt cruces, et quidem iuxta praefatum numerum, in Ecclesia superiori; quare ergo cruces desunt in inferiori? Urgebis: cruces fortasse in superioribus Ecclesiis tempore minus antiquo fuerunt appositae. Transeat, reponimus, ne in infinitum quaestio procedat; sed si maiores nostri in superioribus posuerunt cruces, quare eas non posuerunt in inferioribus? Redit argumentum, nempe: quia censebant cruces in superiori appositas sufficere, cum illius veluti moralis pars sit Ecclesia inferior. Adde Ecclesiam inferiorem Ss. XII Apostolorum recentius esse constructam, superiorem vero recentius instauratam; et postea haec iterum consecrata est, sed cruces in locis suis fuerunt positae quidem in superiori, haud vero in inferiori. Hinc antiqua consuetudo magis magisque per praesentem quoque confirmatur. Ergo eaedem Ecclesiae inferiores consecratae non sunt. Cur autem? Quia consecrari non debent; sed neque possunt. Quarto: hae inferiores Ecclesiae ad eumdem pertinent Clerum, qui superiori adscriptus est: dices ne Clerum ad duas pertinere Ecclesias? Quid negativa responsio, quam dare cogeris, significat, nisi inferiorem veluti unam Ecclesiam moraliter cum superiori constituere? Qua autem de causa, nisi quia velut ad modum unius consecratur, seu quia inferior consecrationis Ecclesiae superioris est particeps? Inferior est veluti accessorium, quod naturam principalis sequi necesse est. Quinto: denique si separatim consecrandae essent superior et inferior

Ecclesia, manifeste sequeretur, utriusque Ecclesiae celebrandum esse anniversarium Dedicationis. Atqui ex omnium Ecclesiarum, aliam inferiorem habentium, consuetudine id falsum comprobatur ; quod aperte demonstrat, utramque Ecclesiam veluti pro una moraliter computari, principalem consecratam influere in accessoriam, ut et ipsa consecrata censeatur, consequenter nec debere nec posse inferiorem consecrari Ecclesiam.

VII. *Ex eod. loco.* **De benedictione aquae et salis pro consecratione altarium breviori formula.** In consecratione altarium, quae sub breviori forma peragitur, quando lapis super sepulcrulo firmandus est a facultatem habente, praeter benedictionem coementi, aqua etiam benedicenda exigitur cum formula in Pontificali praescripta. At in casu formula respicit consecrationem aquae, salis, vini et cineris : sufficit ne sola formula benedictionis aquae et salis, sine alia pro vino et cinere ?

Resp. Affirmative, salvo meliori iudicio. Nam aquae pro firmando lapide benedictio non videtur ferre secum necessario elementa cineris et vini. Primo animadvertimus, S. R. Congregationem expetitam, utrum praeter benedictum coementum requireretur etiam benedictio aquae, ut rite sepulcrum firmari posset, affirmative respondisse, aquam scilicet esse benedicendam et quidem cum formula, quae habetur in Pontificali Romano (*Belluneu. et Feltren. ad I, 21 Ian. 1898*). Porro in dicto codice aqua bis benedicitur quando consecratur Ecclesia, nempe, ab initio functionis, et in eius decursu post duplex, seu graecum et latinum, alphabetum super pavimenti cineres descriptum. Verum prima formula benedictionis aquae eadem prorsus est, ac illa quae legitur in Rituali aut etiam Missali Romano : altera vero diversa est, et omnino propria consecrationis Ecclesiae. Cum itaque Sacrum Tribunal exigat benedictionem, quae prostat in Pontificali, haud vero in

Rituali, iam patet non posse adhiberi primam, licet in Pontificali legatur, quia ad Rituale pertinet, et consecrationi Ecclesiae minus congruit.

At, iure optimo nunc animadverti potest, hanc benedictionem aquae satis esse complexam, ut non contineat tantum salis quoque benedictionem, sed etiam cinerum et vini. Proinde, si prima contineat duos exorcismos, salis nempe et aquae, et duas relativas Orationes, altera continet, praeter duos exorcismos, sex Orationes: quarum prima sal respicit, secunda aquam, tertia cineres, quarta vinum, quinta horum elementorum commixtionem, sexta denique eiusdem aquae aliis elementis commixtae sanctificationem, per eamque domus totius benedictionem. Sufficit ergone exorcismos adhibere cum duabus relativis Orationibus, an potius aqua benedicenda cum omnibus precibus mox descriptis, ultima ad summum omissa, quae Ecclesiam quoque respicit?

Inspecto fine elementorum cinerum et vini, et benedictionis aquae pro casu praesenti, arbitramur sufficere utrumque exorcismum, ac duplicem relativam Orationem. 1. Quia in casu nostro agitur de benedictione brevi altarium; et supponi vix potest, velle S. R. Congregationem exigere ut omnia in hac aquae benedictione adhibeantur, inter quae aliqua necessaria non sunt, et ex quibus formula longe prolixior fieret. 2. Commixtio elementorum cinerum et vini in huiusce aquae benedictione mysticam habet significationem, quae omni vi pollet pro consecratione Ecclesiae, vix autem pro sepulcrulo altaris firmando. Primum constat ex quampluribus signis et aspersionibus cum aqua, cinere et vino commixta, quas agere Pontifex debet. Nam cum ea cruces facit in medio tabulae altaris et in quatuor eiusdem cornibus. Septies aspergit, circuiens, altare: ter Ecclesiam, dum eam circuit, interius: aspergit pavimentum Ecclesiae versus Orientem, Occidentem, Aqui-

lonem et Austrum. Iam nunc sacrorum cinerum usus, ait S. Carolus, in Ecclesia Dei, ad significandam et excitandam etiam poenitentiam introductus est. Vinum autem additur aquae, ut sicut haec humanitatem, ita illud divinitatem exprimat. Vel vinum significat novum Testamentum, sicut aqua antiquum, cinis significant humilitatem, ut animadvertit S. Petrus Damianus, *per quem Abraham colloquens Deo ait:* **Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis** (*Serm. LXVII*). Haec autem iam satis in consecratione Ecclesiae sapientissime significantur; sed nulla apparet necessitas eadem perfectione illa significandi cum accidentaliter execratum altare, per breviorem formulam iterum consecrandum est in confirmando sepulcrulo.

VIII. *E Segovia.* **De lectionibus I Nocturni in quodam Sabbato ante Septuagesimam.** 1. Quando, ut in anno currenti evenit, in Sabbato ante Septuagesimam fit (cum sola commem. et 9. lect.) de anticipata Dominica 5 post Epiphan., et Officium duplex, quod dicitur illa die, habet proprias vel de Communi assignatas lectiones I. Nocturni, non una est auctorum sententia circa lect. in eodem Noct. dicendas. De hac re exquisitae e Calagurri *Ephemerides Liturg.* responsum dederunt anno 1891 (fol. 321); aliud vero persuadere videntur anno 1897 eaedem *Ephemerides*, dum in specimine Calendarii anni 1898 (fol. 220) afferunt Decretum quoddam d. 11 Mart. 1871 *Burgi S. Domnini* ad 3. Sed nec quod primo nec quod posterius docuit laudata publicatio aliis placet: hi namque volunt innixi Calendario Cleri Romani, in memorato casu esse prorsus omittendum initium Dominicae anticipatae, quod non habet ius ut in Sabbato reponatur, stante in eodem Sabbato alio initio, ex Decreto 15 Iun. 1776 *Urbis* ad 10; sed nec ius habet ut ante Sabbatum ponatur, cum initia legi nequeant extra propriam hebdomadam, et Dominicae anticipatae hebdomada incipit a die in quo eiusdem fit commem., teste Ca-

valieri. Restat ergo ut hoc initium prorsus omittatur. Sed nec initium Sabb. praevalere potest lectionibus propriis Officii, quum lectiones propriae tunc solum sint omittendae, quando intra hebdomadam non adest locus, seu alia dies vacua : atqui in nostro casu haec conditio non verificatur, sed e converso initium Sabbati anticipari potest ad feriam 6 praecedentem. Ergo . . . Nonne bene ?

Resp. Ante omnia animadvertimus, in conclusione Dubii e Calagurri provenientis (1891, pag. 324) supponi, quando officium Dominicae fit per solam commemorationem plura initia poni posse eodem die, quamvis hoc non sit certum ; imo aliud communiter auctores docent Decreto *Urbis* (28 Mart. 1775) innixi. Atque ideo Specimen Calendarii 1898 (num. Apr. 1897, pag. 220) diversam exhibuit doctrinam : quae tamen continetur in nota, et respicit eos tantum, qui die 3 Februarii agere debuerunt de duplici vel de semiduplici, quin potuissent officium agere de Dominica V anticipata post Epiphaniam.

Secundo notamus, Calendarii Cleri Romani duplicem fieri Editionem, alteram pro dicto Clero universoque Orbe, alteram pro solo Clero Urbis. Si ergo adm. Rev. consulens legat Calendarium pro universo Orbe, inveniet profecto conformem *Ephemeridum* doctrinae : dummodo quae dicuntur in textu applicentur pro universo Clero, qui die 3 Febr. Dominicam V post Epiphaniam anticipat quoad integrum officium, quae vero dicuntur in nota applicentur uni Clero saeculari Urbis, ut superius dictum est, qui officium eiusdem Dominicae V anticipat die 5 Febr. per solam commemorationem.

Hinc animadvertat adm. Rev. consulens, pro Clero saeculari Urbis initium Dominicae V (*Inc. Ep. 1. ad Timoth.*) revera non habere locum et esse omissum, uti praescribit Decretum *Urbis*, 28 Mart. 1775 ad 10. Si autem in textu Calendarii, non solum videt initia Dominicae V, sed

etiam feriae III, V et Sabbati post eamdem Dominicam, ne mirctur ; quia anticipato officio Dominicae, *in sequentibus diebus legatur*, ait Rubrica, *de Epistolis S. Pauli assignatis Dominicae anticipatae, et sequentibus feriis, omissis aliis, quae sunt assignatae praecedenti hebdomadae* (Tit. XXVI, *n.* 8).

Neque opponas, Calendarium posuisse initium ad Philemonem in Sabbato, quo festum occurrebat habens lectiones proprias. Nulla enim esset eiusmodi oppositio ; quia, deficientibus diebus liberis, cum illud initium omitti non potuisset, coacti fuimus idem reponere in dicto die, iuxta Decretum *Burgi S. Domnini*, 11 Mart. 1871 ad 3.

Quod vero attinet assertionem circa initium Sabbati quod sit extra propriam hebdomadam, quae assertio aliquorum, inter quos A Carpo (*Biblioth. Lit. pars 3, n. 89, et 229*), auctoritate innititur, animadvertendum est, hanc sentiendi rationem esse in nihilum redactam per idem Decretum *Burgi S. Domnini*. Hoc enim agit de casu, quo initium libri non occurrens in sua hebdomada, quae esset V Septembris, sed anticipandum in dicta feria V post Dominicam IV, impeditur in feriis V, VI, et Sabbato sequenti, ab officiis lectiones proprias vel de communi assignatas habentibus. Edicit autem, dictum initium impeditum esse legendum in feria VI, quae est festum S. Hieronymi, quod aliis duobus officiis impedientibus est minus dignus.

2. Anno currenti October habet tantum quatuor hebdomadas ; et ideo historia martyrii Machabaeorum, iuxta rubricam, anticipari debet ad fer. 5, 6 et Sabb. hebdomadae quartae. At in Calendario dioecesis Abulensis tota hebdomada est occupata festis habentibus lectiones I. Nocturni proprias aut de Communi assignatas, praeter fer. 5 tantum. Quaeritur, an in hac quinta feria legi debeant lect. *Igitur Eleazarus* ex Domin. 5, an vero sumendum initium

Domin. 4, omissis lectionibus martyrii Machabaeorum, prouti rationi magis consonare videtur?

Resp. Exploratum est, initia non posse legi extra propriam hebdomadam. Nunc ob anticipationem, ex Rubrica praescriptam, in feriam V lectionum Dominicae V Octobris, nova hebdomada incoepta est. Ergo initium libri II Machabaeorum recitari debet vel in Dominica IV Octobris, vel in tribus feriis sequentibus, quamvis hae impeditae sint ex festis lectiones proprias vel de Communi assignatas habentibus. In paritate autem ritus et dignitatis, initium recitandum foret in ipsa Dominica IV, in qua occurrit (*Cavalieri, Tom. II, cap. 34, Decr. 16, n. 4*). In feria autem V dicantur lectiones *Igitur Eleazarus* de Dom. V.

3. Denique, quando Dominica 5 Novembris venit in die 20 vel 21 eiusdem mensis, in tota Hispania locum obtinere nequeunt omnia initia Scripturae, nisi propriae lect. 1. Noct. S. Caeciliae vel S. Clementis omittantur; quia apud nos ritu duplici 2. cl. gaudet festum S. Ioannis a Cruce (24 Nov.) et die 26 agitur festum Desponsationis B. M. V. cum S. Ioseph ritu dupl. maiori. Sed quum ex Calendariorum redactoribus alii in hoc casu omittendas esse annuntient lect. S. Caeciliae, alii e contra illas S. Clementis; quumque aliunde nec ex Rubrica, nec ex Decreto 5 Maii 1726 *in Einsidlen.*, nec ex Gavanto, Merato, Cavalieri, De Herdt, Carpo, Solans et aliis constet quid iuris sit sequendum, quaeritur, an praefato in casu convenientius omitti debeant lectiones S. Clementis, utpote ultimus in impedimento afferendo?

Resp. Inhaerentes supercitatae sententiae Cavalieri, et ad vitandum inconveniens, vi cuius idem semper festum privaretur in casu lectionibus propriis, consultius nobis videtur, ut lectiones iuxta sequentes normas disponantur: *a)* Quando Dominica V incidit in diem 20 Novembris, ini-

tium Michaeae in ipsa Dominica V recitabitur: initia vero Nahum, Abacuc et Sophoniae die 23: initia denique Aggaei, Zachariae et Malachiae die 25. *b)* Quando autem supradicta Dominica incidit in diem 21 Novembris, initia Michaeae, Nahum et Habacuc recitabuntur die 22: initium Sophoniae (1.ª lect.) et Aggaei (2.ª et 3.ª lect.) die 25: initium Zachariae (1.ª lect.) et Malachiae (2.ª et 3.ª lect.) die 27.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Olisipone.* Decretum 12 Septemb. 1867 in *Molinen.* ad VII nullimode solutioni in fasciculo 4.° pag. 225 datae adversatur, loquitur illud quippe de Missis Parochialibus et *similibus*, quarum in numero non recte diceretur comprehendi et Missa Conventualis, quae potior est Missa Parochiali in casu; neque inter eas computanda est *quae celebratur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis*, ut patet, sed in seipsa profecto habet rationem cuiusdam solemnitatis, ut omnimode a privatis Missis distinguenda sit. Hinc, prout Missa solemnis, non fert commemorationem simplicis in festis secundae classis, nec Celebrans tenetur ad preces pro Missis privatis praeceptas in fine.

Multo minus adversatur Decretum in *Tuden.* diei 7 Septemb. 1816, quod est de Missis tantum privatis.

Neque felicius citatur cl. De Herdt, qui non loquitur de Missa Conventuali, sed de aliis, de quibus mox diximus, et nihil habet circa nostram quaestionem: dum nil aliud docere intendit, nisi quod in praefatis Missis impu-

ne adhibentur duo Ministri, non agit vero de caeremoniis, ut in casu.

Si ergo, prout ait R.dus inquirens, S. R. Congregatio, « par rapport à l' assistence du maitre de cérémonies, ou d' un autre prêtre, elle n' a pas encore dit un mot », nos sententiam expositam tenemus, quam Rubricarum spiritui et Decretorum non adversari ostendimus.

II. *Pro America.* Si in aliqua Dominica privilegiata occurrat accidentaliter aliquod duplex minus, et in Feria II insequenti, item privilegiata aliud duplex minus occurrat; ex. gr. si in Dominica Palmarum et Feria II insequenti aliquod duplex simplificandum occurrat, in Vesperis Dominicae prius facienda est commemoratio de festo ad instar simplicis redacto in feria insequenti occurrente, deinde de Sancto in ipsa Dominica occurrente, pariter ad simplicem ritum redacto. Et ratio est, quia primae Vesperae solemniores sunt quam secundae, ideoque primas habere debent.

III. *Item pro America.* Rubrica propria in festo SS. Nominis Iesu praecipit quod, si Dominica secunda post Epiphaniam sit Dominica Septuagesimae, praedictum festum SS. Nominis reponatur die 28 Ianuarii tanquam in sede propria. Item transferendum est idem festum SS. Nominis, si in eadem Dominica 2.ª occurrat aliquod aliud festum potioris ritus vel aequalis, sed primarium. Nam cum festum secundarium SS. Nominis nullo privilegio speciali gaudeat, iisdem regulis ac alia festa subiacet. Ideoque, si in dicta Dominica occurrat cum festo, quod potiorem ritum habeat vel aequalem, sit tamen primarium, cedere debet, et in diem 28 Ianuarii, dummodo et haec impedita non sit aliquo festo ut supra, transferendum est.

IV. *Pro eodem loco.* Ubi, defectu ministrorum, Sacerdos absque maioribus ministris Missam cantat, potest idem Celebrans in Dominica Palmarum (et etiam in Feria VI

in Parasceve) Passionem canere, dummodo ipse partem illius qui personam Christi gerit, et alii duo, qui Diaconi esse debent, alias duas partes cantent. Habetur enim S. R. C. Decretum, id permittens. En verba Decreti: « Feria tertia et quarta maioris Hebdomadae canitur Passio a duobus (subintellige Diaconis), sed vocem Christi dat ab altare Sacerdos Celebrans. » Responsum autem fuit: « Permitti posse, defectu ministrorum (*Montis Politiani, 10 Ian. 1852, ad 2, et Ephemer. Lit. an. 1896, pag. 693 et seq.*). »

V. *Pro Gallia.* Omnes Rubricarum expositores docent caput inclinandum esse a clerico Missam deserviente, quando Celebrans dicit *Oremus*, vel SS. Nomen Iesu, vel B. Mariae Virginis, vel Sancti, cuius agitur festum nominat, etiamsi clericus genuflexus sit. Et bene. Nam, vi Rubricarum, in ipsa utriusque permanente genu flexione, alia signa venerationis admittenda sunt; ex. gr. ad *Tantum ergo* omnes genua flectere debent et nihilominus ad *Veneremur cernui*, etiam profundam inclinationem facere debent. Vid. Decret. *in Tarnovien.* d. d. 26 Maii 1859, ad 3. Si ergo permanens genuum flexio profundam inclinationem admittit, a fortiori simplicem et mediocrem admittet, uti patet.

VI. *Item pro Gallia.* « Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos..... accipit manu sinistra pyxidem seu Patenam cum Sacramento, dextera vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet *aliquantulum elevatam super pyxidem seu Patenam* et conversus ad communicandos in medio Altaris dicit: *Ecce Agnus Dei* etc. (*Rubric. Missalis, Ritus servandus in celebratione Missae, Tit. X, n. 6*) » Longe ergo a littera Rubricarum absonus est modus ille communicandi fideles, iuxta quem Sacerdos accipit particulam, illam aliquantulum elevat statimque in pyxide demittit, ita ut a fidelibus parum vel nihil videatur. Sed et a spiritu Rubricarum longe distat; nam

Rubrica vult quod particula elevetur, ut a fidelibus adorari possit. Praeterea non amplius verba, quae Sacerdos in praedicta actione profert, verificantur. Dicit enim: *Ecce Agnus Dei*, etc.; sed cum non videatur, dici poterit: ubi est? Nobis ergo videtur modus iste communicandi reformandus, litterae et spiritui Rubricarum inhaerentibus.

VII. *Pro America.* « In conclusione Orationum hic modus servatur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur: *Per Dominum nostrum* etc. Si ad Filium: *Qui vivis et regnas* etc. Si in principio Orationis mentio fiat Filii, concluditur: *Per eundem Dominum nostrum* etc. Si in fine Orationis eius mentio fiat: *Qui tecum vivit* etc. Si facta si mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur: *in unitate eiusdem Spiritus Sancti* etc. » Ita Rubrica generalis Missalis Tit. IX, n. 17. Memento etiam conclusionem Orationum, quando plures sub una conclusione dicendae sunt, ex ultima dependere. Item memento in functionibus non stricte liturgicis conclusionem esse debere brevem (nisi ex facto aliter signetur), ita ut loco: *Per Dominum nostrum* etc., dicatur: *Per Christum Dominum nostrum* etc. Haec sub oculis habe, atque ad omnia dubia aequam responsionem invenies.

VIII. *Pro Cherio.* Si infra Octavam Pentecostes in Missa dicenda sit Collecta de Spiritu Sancto, ab Episcopo imperata, atque Orationes eaedem sunt ac Collecta, pro ista alia Oratio non sumitur, sicuti fieri solet quando Collecta pro Papa, quae imperata est ab Episcopo, dicenda quoque venit in Anniversario Creationis eiusdem Pontificis.

Vota. An, dum aliquis iam genuflexus est, debeat etiam caput inclinare, necne, quando SS. nomen Iesu profert, vide ea quae supra n. V hac de re dicta sunt.

IX. *Pro Gallia.* Celebrans in Ecclesia aliena, in qua officium semiduplex habetur, bene potest Missam celebrare suo officio conformem, et quidem festivam. Ratio est

quia eo modo quo permittitur Missa festiva de officio occurrenti, et libertas datur dicendi aliam Missam votivam, ita etiam libertas relinquitur Sacerdoti alieno Missam celebrandi suo officio conformem. Decretum enim *Urbis et Orbis* d. d. 9 Decembris 1895 loquitur explicite de Missa respondenti feriae quae occurrit, tacet vero de Missa officio celebrantis conformi. Et tacet secundum, quia unicuique patet semper fieri posse Missam officio conformem. Sacerdos vero in Missa suo officio conformi, si ritus id permittat, recitare debet Orationes, quae in Ecclesia ubi celebrat imperatae sunt. Id ex Decreto d. d. 5 Martii 1898.

X. *Pro Bohemia.* Missa votiva privata B. M. V. non fert hymnum angelicum, nisi in Sabbato: ita ex lege generali. Si tamen eadem Missa votiva de Beata dicatur infra octavam alicuius festi ad eamdem Deiparam pertinentis, legitur Missa de Octava more votivo, in eaque hymnus angelicus dicitur ratione laetitiae, quam octava significat. Hinc eiusmodi Missa, quamvis votiva, de octava maxime participat. Denique si quis privilegium obtineat dicendi Missam votivam de Beata ex defectu visus, is hymnum angelicum non dicit, nisi in Sabbato, etsi sit infra aliquam octavam pertinentem ad Deiparam. Ratio discriminis est, quia Missam **de octava** Deiparae ille dicit, et hymnum angelicum addere debet: Missam **votivam** Deiparae dicit iste, et hymnum angelicum debet omittere, octava neglecta. Haec veritas, utcumque nos ipsos explicare potuimus.

XI. *Pro Austria.* 1. Quando in aliquo festo adsint tres Hymni proprii *historici*, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas; si vero secundae Vesperae non sint de hoc festo, tunc Hymnus Vesperarum coniungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione (Rubr., *Tit.* XV.

de Hymnis). Si vero sint quatuor Hymni, coniungantur, si opus sit, duo postremi etiam ad Laudes. At, si non sint eiusdem metri, unde coniunctio impossibilis fiat, respective impediti omittantur.

2. Si festum S. Thomae Cantuar. E. M. venerit in Dominica, lectiones 1. Nocturni legendae sunt: *A Mileto*; quia Epistola ad Romanos incipit die 30 Decembris (V. *Ephem. 1897, pag. 143*).

3. Impedito Officio Defunctorum pro Commemoratione solemni Confratrum Ordinis ob occurrentiam Dominicae, et adhuc die sequenti, ob festum occurrens Patroni loci de praecepto colendum, videtur reponi posse die insequenti libera ab officio duplici maiori et a feriatione (V. Rubr. Brev. Rom. Seraph. *ad Tit. XXXVII, 219*).

4. Iuxta principia omnibus nota, Patronus praecipuus loci occurrens vel concurrens cum Titulari Ecclesiae, si adnexam habeat feriationem praefertur. (*V. Decr. Gen. 4 Febr. 1896 in Ephem. 1896, pag. 132*).

5. Privilegium transferendi aliquod festum in primam diem *festo duplici* non impeditam suffragatur cunctis, qui ad idem festum recolendum tenentur; unde festum Patroni principalis gaudens tali privilegio in loco, gaudebit et apud Regulares, quippe qui tenentur ad illud peragendum.

6. In Ecclesia duos Titulares habente aequalis dignitatis, suffragium prius fiet de illo, qui Fundatoris Ordinis qualitate distinguitur.

7. Secluso privilegio, occurrentibus vel concurrentibus Patrono seu Fundatore Ordinis cum festo locali solemniori nempe loci Patrono etc., nulla debetur praeferentia Fundatori aut Patrono Ordinis etiamsi digniori. Indulgentia festo Ordinis adnexa non suffragatur, ad effectum praelationis huic dandae; Indulgentia enimvero sequitur festum, non festum Indulgentiam.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Maio 1898 propositae

PROPOSITIO.

Qua ratione sit intelligenda atque in praxim deducenda Rubrica gen. Breviarii tit. XXVI. n. 7: « Cum initium alicuius Epistolae Catholicae.. aut alicuius Prophetae Minoris.. impeditur... ponatur in sequenti feria... non impedita: alioquin in praecedenti similiter non impedita », pro variis casibus passim occurrentibus?

SOLUTIO.

Cardo quaestionis, ni fallor, est sensum praefati numeri 7 affirmare, extensionemque declarare, et aequam eius applicationem ostendere iuxta passim occurrentes casus. Ad quod faciendum iuvat et sufficit in memoriam revocare principia, quae regulant materiam.

a) Primum Principium. Privilegium translationis aut anticipationis non peculiare est Epistolis Catholicis Tempore Paschali et Minoribus Prophetis in mense Novembri: se autem ad quaelibet extendit initia, quae in iisdem conditionibus reperiri queunt per totum anni decursum.

Specificat quidem Rubrica initium alicuius Epistolae Catholicae aut alicuius Prophetae Minoris, quia in his temporibus frequenter et saepius occurrit aliquod impedimentum: sed generalis est Rubrica in numero praecedenti, et S. R. C. declaravit eamdem esse intelligendam de Epistola 2ª ad Corinthios, atque de 2ª et 3ª S. Ioannis (1). Exacte igitur pro initiis S. Scripturae in genere servabuntur regulae, quas mox exposituri sumus quoad horum peculiarium initia: et etiam — si necesse est — plura eodem die collocabuntur, ut aliquo modo ponantur, tum

(1) S. R. C. 23 Maii 1835, n. 4746 ad 5.

quia eadem est ratio et usus, ut iure merito inferunt De Herdt (*Tom. 2, n. 337*) et *Ephem. Liturg.* (anno 1891, pag. 322), tum quia id praescribere videtur S. R. C. in suo decreto *d. d. 4 Sept. 1745, n. 4175 ad 6*. Quapropter nefas foret ab illa doctrina recedere, quam tenent quoque Guyetus (*lib. 4, cap. 16, q. 2*), Merati (*sect. 5, cap. 12, n. 7*) et Cavalieri (*Tom. 2, cap. 14, dec. 309*) cum aliis Rubricistis melioris notae.

b) Secundum Principium. Privilegium translationis vel anticipationis pertinet ad omne initium occurrens infra hebdomadam sibi liturgice concessam, et una simul impeditum in sua die assignata, sive per festum habens Lectiones proprias vel de Communi, sive per feriam maiorem aut Vigiliam, de qua fit officium cum tribus homiliae Lectionibus. Unde iam initia non respicit comprehensa in hebdomadis, quas sive partialiter sive integre certis annis deficere liturgice contingat per viam suppressionis. Accessorium sequitur principale.

Hinc 1º : quando, superveniente Dominica Septuagesimae, non expletur numerus Hebdomadarum, quae intercedere queunt inter Epiphaniam et dictam Septuagesimam, tunc iuxta modum suppressionis hebdomadarum omittuntur initia ad illas pertinentia quia quod deficit per cessationem et non per obicem, id occurrere dici nequit, neque impediri in sensu, qui exigat translationem vel anticipationem aliquam. *Ita Rubr. Brev. Tit. 26, n. 8*.

Si igitur quatuor, vel tres, vel duae, aut una tantum supprimuntur hebdomadae post Epiphaniam, ipso facto tenenda sunt sub silentio hoc anno initia, quae respective includuntur infra dictas hebdomadas. Si deduplicatur tantum una ex his hebdomadis ad in illa reponendum, iuxta Rubricas, alteram hebdomadam, quae aliter prorsus omitteretur, iam nihil ultra faciendum est de prima hebdomada, etiamsi ageretur de aliquo initio, quia liturgice suppressa est per hanc deduplicationem, sed initia sumuntur de nova hebdomada, liturgice incoepta, in sequentibus diebus ubi, quoad commode fieri potest, non tantum initium huiuscemodi Dominicae anticipatae, sed et initia omnibus huius novae hebdomadae feriis assignata, legenda sunt, etiamsi plura eodem die poni oporteat. Hoc aperte liquet ex ipsis Rubricae verbis (*Tit. 26, n. 8*) : et Cavalieri (*Tom. 2, cap. 14,*

dec. 2, n. 33). Gavantus (*Sect. 5, cap. 12, n. 12*), et alii communiter docent, verbi gratia, initium occurrens in feria IV, si in eadem feria anticipetur aliqua Dominica post Epiphaniam, non posse transferri in sequentes ferias, quia liturgice non amplius existit praecedens hebdomada, et vere nova inchoatur.

Item valet eadem regula, quando mensis September habet tantum quatuor hebdomadas. In feria enim V quartae hebdomadae incipit liber *Esther*, qui assignatur quintae hebdomadae, et omittuntur reliquae Lectiones I Noct., quae assignabantur antecedenti hebdomadae, quia liturgice terminatur per novae hebdomadae accessionem. Si autem deduplicatur aliqua hebdomada post Pentecosten ad reponendam Dom. XXIII, quia iam non sunt nisi XXIII Dominicae, et nunquam omitti debet Dom. XXIV, tunc nulla est variatio in sequentibus feriis. Quare? Quia ex una parte initia in mense Novembri non sunt addicta tali Dominicae determinatae, ut v. g. post Epiphaniam, sed mutuantur a Dominica mensis, in qua recurrunt Dominicae post Pentecosten, quae invariabiliter tantum gaudent solis homiliae Lectionibus. Cum vero ex altera nonnisi secunda hebdomada omitti potest, iuxta Rubricam, ante Dominicam 2 Novembris, tunc non amplius restat facienda anticipatio alterius Dominicae mensis Novembris, et idcirco, anticipetur vel non XXIII Dominica, Lectiones I Noct. remanent legendae prout in ultima hebdomada mensis Novembris distributae sunt, excepto quod transferri debeant Lectiones ad feriam in qua fit de officio Dominicae anticipatae, si sint initia, uti fit quando aliquod initium recurrit in festum vel officium habens Lectiones proprias. Ita Cavalieri (*loc. cit. n. 37*), et Rubricae speciales in mensibus respectivis positae.

Hinc 2°: quando, adveniente prima Augusti Dominica, non completur numerus Dominicarum, quibus affiguntur initia quatuor librorum Regum, tunc quod superest de eis, licet ageretur de initio tertii vel quarti Regum, omitti debet hoc anno, quia ubi deficit hebdomada cui adnectitur tale vel tale initium, deficere quoque debet eius translatio, iuxta axioma supra relatum: *Accessorium sequitur principale*. Quamobrem anno 1905, quo sex tantum erunt Dominicae post Pentecosten, antequam prima

veniat Dominica Augusti, necesse est ut omittantur etiam initia 3ª et 4ª Regum, quia 7ª et 9ª hebdomadae, quibus alligantur hi libri, non praecedunt primam Dominicam Augusti, et ex iis proinde sunt, quae cessant per adventum alterius ordinis Lectionum, id est, Lectionum primae Dominicae Augusti adnexarum.

Hinc 3°: quando una vel plures Dominicae post Epiphaniam ante Septuagesimam supprimuntur, sed tamen reponuntur secundum quid post Pentecosten ad perficiendum cyclum hebdomadarum, tunc ultra XXIV attingentem, non ideirco reviviscunt quoad Lectiones I Noct., quia privilegium repositionis reservatur tantum initiis, quae impediuntur infra suam hebdomadam liturgice occurrentem (quod non verificatur mense Novembri, ut clare patet), et imo series Epistolarum a longo tempore interrupta transiret in confusionem, quatenus intermixta cum libris Novembris.

c) *Principium Tertium.* Locus, ubi reponi debet initium in die sua impeditum, nonnisi feria sequens aut antecedens esse potest, quae pertinet ad eamdem hebdomadam, ita ut nunquam e sua hebdomada propria vel liturgica exturbetur initium, ut tenent, praeter auctores iam citatos, A Carpo (*Part. 3, n. 89*), De Herdt (*Tom. 2, n. 339*), et cl. Maugère in suo opere: *Le Bréviaire Romain commenté, pag. 336 et 416.*

Hinc 1°: quando aliquod initium alicui hebdomadae alligatur, etiam si per totam hebdomadam nulla dies foret libera, non itaque tamen reponendum esset in sequentem Dominicam, quia 1° Rubrica nonnisi de feria loquitur ad illud transferendum; 2° quia sic vult et docet S. R. C. in suo decreto *d. d. 5 Maii 1736, n.* **2344** (*4044*) *ad Tit. 25 dub. 3.*

Sola exceptio, quae ceterum firmat regulam, respicit initium librorum pluribus hebdomadis assignatorum, ut v. g. *Machab.* aut *Regum*, et aliorum similium. In hypothesi enim, initium impeditum, quamvis translatum in sequentem Dominicam, semper intra limites sibi proprios remanet, et exinde dici nequit de sua vere transivisse in alienam hebdomadam, cum de eo recitando adhuc perseveret obligatio. Talis est quoque doctrina *Academiae Liturgicae Romanae*, et *Ephem. Liturg.* (anno 1897, pag. 144 et seq.). Itaque si Dominica est prima dies libera, non est ratio

cur ibi non poneretur, et praesertim quod nunquam licet de aliquo libro dicere antequam iam recitetur eius initium.

Hinc 2°: Initia librorum S. Scripturae, qui inchoantur in Dominicis, si locum non habeant ob aliquod impedimentum, anticipari non debent in aliqua feria praecedentis hebdomadae, ut omnes tenent Rubricistae, qui nolunt accessorium praecedere principale, seu Lectiones praecedere hebdomadam.

Sola exceptio est, quando in una hebdomada liturgice creatur nova hebdomada, quae habet aliquod initium, et quam Rubrica vult aliquo modo non supprimi. Tunc « post officium Dominicae anticipatae, in sequentibus diebus legatur de Epistolis S. Pauli assignatis Dominicae anticipatae et sequentibus feriis », ut iam notavimus supra, tam pro hebdomadis post Epiphaniam, quam pro hebdomada quinta Septembris, « omissis aliis, quae sunt assignatae praecedenti hebdomadae ».

Et adhuc haec exceptio firmat perfecte regulam. Nam praecedens hebdomada in casu, post officium Dominicae anticipatae, ut sedulo notat Rubrica, absolute desinit, et illico incipit nova hebdomada. Unde male ageret qui sive initium Dominicae anticipatae recitaret ante dictam anticipationem, sive post eam adhuc legeret Scripturam de anteriori hebdomada. Audiamus cl. Cavalieri loc. cit. n. 41 et 42: « Certum esse quod, si sint continuatio alicuius libri, (Lectiones) omitti debent, quoniam in die sequenti feriam, in qua actum est de Dominica, poni debet initium dictae Dominicae et de eodem legi in sequentibus feriis, ut aperte statuit saepius allegata Rubrica: quae cum insuper addat, *omissis aliis*, scilicet Lectionibus, *quae sunt assignatae praecedenti hebdomadae*, proculdubio omittendae veniunt saltem quando initium alicuius libri non continent. Quando vero in sequentibus feriis occurrit initium aliquod, Meratus in Tabulis 22 et 23 illud anticipat, utique tamen perperam, quia Rubrica absque exceptione dicit: *omissis aliis etc.*, excepisset autem, si initiis, quae iisdem diebus frequenter occurrunt, parcere voluisset, cum sit casus valde obvius ac evenire facilis. Adde quod talia initia non sunt ex iis, quae in propriis diebus locum non habent per impedimentum aliquod, sed per adventum alterius scripturae et per cessationem, adeoque ex iis, quae iuxta doctri-

nam ipsius Merati Sect. 5, cap. 12, n. 7, transferri non possunt, sed penitus omitti debent ».

Hinc 3°: quando aliquod initium S. Scripturae occurrit ipsa die, qua celebratur officium alicuius Dominicae anticipatae, debet e contra anticipari. En argumentatio Cavalieri, qui hunc casum tractat n. 33 :

« Si Dominica, inquit, anticipetur in feria IV, in sequenti feria V incipit nova hebdomada, et in ea ponuntur Lectiones novae hebdomadae, ut liquet ex verbis Rubricae : « legatur de Epistolis... Dominicae anticipatae.... omissis aliis, quae sunt assignatae praecedenti hebdomadae ». Quare cum, Gavanto ipso teste Sect. 5, cap. 12, n. 12, initia librorum S. Scripturae extra hebdomadam nunquam transferantur, patens fit, initium occurrens in dicta feria IV non posse transferri in sequentes ferias. Quoniam vero eadem Rubrica n. 7 vult initia Scripturae, quoties impediuntur in propria feria, in sequentes vel praecedentes esse transferenda, ita ut aliquo modo ponantur, etiamsi plura initia eodem die poni oporteat, non minus certum redditur, cum in sequentes transferri dictum initium non possit, in praecedentibus esse ponendum, quoniam Scriptura, quae in feria, in qua ponitur officium Dominicae, occurrit, est Scriptura feriae currentis, non ea Dominicae anticipatae, quae solum in die sequenti censetur et ponitur occurrens. Quare Scriptura, in qua ponitur officium dictae Dominicae, non est ex iis, quae cessant per adventum alterius Scripturae, sed ex iis, quae impediuntur per officium habens Lectiones proprias, adeoque ex iis, quae in alteram diem transferri debent, si sint initia ». Ceterum non potest dari ullum initium Scripturae, quod non pertineat ad aliquam hebdomadam. Porro non pertinet ad novam hebdomadam liturgice creatam, initium occurrens in feria, ubi ponitur officium Dominicae : alioquin perperam dixisset Rubrica post officium dictae Dominicae legendum fore in sequentibus diebus de Scriptura Dominicae assignata (quod dicere nefas est). Ergo pertinet ad antecedentem hebdomadam, et proinde anticipari debet.

Hinc 4°: quando anticipatur aliqua Dominica in Sabbato ante Septuagesimam et habet tantum commemorationem propter festum novem Lectionum; deficientibus Lectionibus propriis aut

de Communi assignatis, legendum est initium Dominicae anticipatae (1). Quid autem, si illa die iam habetur initium alterius Epistolae S. Pauli? Hic haerent aquae. Habemus unum decretum quod tunc omitti Lectiones Dominicae anticipatae decernere videtur (2). Sed Cavalerius, A Carpo, *Ephem. Liturg.* putant, sicut et nos, initium huius Dominicae non ex iis esse, quae impediuntur per adventum alterius Scripturae, sed ex iis, quae impediuntur tantum per Lectiones proprias et homiliam aliquam. Ergo in casu adhuc legendum est initium huius Dominicae (3).

d). *Quartum Principium*. Sedes ad repositionem alicuius initii impediti apta, non est ad libitum feria proxin ior, quae infra suam hebdomadam sequitur aut praecedit eius incidentiam: sed eligi debet ante omnia feria proxime sequens, et non est ad proximiorem antecedentem recurrendum, nisi sequens sit absolute vel magis impedita quam praecedens. Ita Tit. 26, n. 7.

Hinc 1°: si feria sequens aeque ac praecedens sit libera, id est sine ullo initio occurrente, initium in die sua impeditum, sive per festum habens Lectiones proprias aut de Communi assignatas, sive per feriam maiorem aut Vigiliam celebratam, reponendum est in feria sequenti, quia nonnisi in eius defectu admittitur eius anticipatio: *alioquin*, ait Rubrica, *in praecedente similiter non impedita*. Porro utraque, ut fert hypothesis, est prorsus libera. Ergo, E contra si sequens iam habet aliquod initium, quo caret feria antecedens, tunc initium impeditum anticipatur in feriam anteriorem, quia non est similiter impedita, ut patet. Et ita faciendum est, ait De Herdt, licet in aliqua ex sequentibus feriis aliud initium non occurrat, quia Rubrica n. 7 praescribit, initium impeditum ponendum esse in sequentem feriam, alioquin in praecedentem, licet plura initia eodem die poni oporteat, ne, quoad fieri potest, initium a die sua longius removeatur (4).

Hinc 2°: si aequaliter in sequenti et in praecedenti iam

(1) S. R. C. 4. Sept. 1773, n. 4366 ad 4; 28 Mart. 1775, n. 4378 ad 10.

(2) S. R. C. 15 Iun. 1776 ad 10.

(3) Ephem. Liturg. anno 1891, pag. 322 et seq.

(4) Super hoc, aliisque duobus consectariis, notamus Gavantum in Tabula VI diebus 20 et 24 Nov. aliam sequi sententiam. REDACTIO.

habetur initium, adhuc transferri debet initium impeditum in sequentem feriam, quia in aequali partiali impedimento, ut est aliquod occurrens initium, nunquam ponendum est iuxta Rubricam in feriam praecedentem similiter impeditam. Si e contra feria sequens iam habet duo initia, quia in feria VI anticipari debet v. g. initium Sabbati impeditum per Vigiliam S. Andreae, tunc initium feriae V anticipandum erit in feria IV, ubi tantum unum est initium, quia certe minus est impedita ac sequens et proinde non similiter impedita. Si vero praecedens haberet duo pariter initia, repositio facienda esset in sequenti, quia locum non habet in antecedenti, nisi quatenus censetur esse minus impedita.

Hinc 3º: quando sequens dies impeditur per festum habens Lectiones proprias, aut de Communi assignatas, vel per feriam maiorem vel per Vigiliam, et in praecedenti tantum sit unum vel etiam duo initia, tunc initium impeditum non est in ulteriorem diem sequentem reponendum, sed in praecedentem ubi legi poterit pro tertia lectione. Si autem aequaliter una et altera impediuntur, iam progrediendum est de die in diem alium, applicando unicuique praecedentem regulam, donec initium impeditum reponatur, ut clare resultat ex Rubrica: sed nunquam poni possunt duo initia pro una Lectione, et nunquam ultra tria.

Notemus tamen quod per Lectiones de Communi assignatas repositionem alicuius initii impedientes, illae intelligendae sunt tantum, quas de iure sibi vindicant certa festa solemniora etc., non autem quae assignantur alicui officio per defectum Scripturae occurrentis in die, qua cadunt. Verbi gratia, in festo quod occurrit vel feria II Rogationum, vel Vigilia Ascensionis, desumendae sunt Lect. I Noct. de Communi illius Sancti, non quia ut propriae ei assignatae, sed ut supplentes defectui Scripturae occurrentis, si ponendum non sit initium Epistolae praec. Dom. quod omissum est ob aliud festum in ea celebratum et proprias habens Lectiones. Ita Rubr. spec. die 26 Aprilis.

Item Lectiones I Noct. de Exodo, quoties Dominica IV Quadragesimae sit impedita aliquo festo 1 cl., reassumendae sunt infra illam hebdomadam in festo occurrente, quod haberet Lectiones de Scriptura occurrente, si festum illud extra Qua-

dragesimam incidisset (1). Pariter S. R. C. illud ad Dominicam Sexagesimae, Quinquagesimae, et ad secundam et tertiam Quadragesimae extendit, sicut et ad historiam Machabaeorum in mense Octobri, quia, propter insignes historias Noemi, Abraham, Iacob, Ioseph, Moysis, et Machabaeorum, quas continent hae Lectiones, tanquam initium libri sub hoc respectu considerari debent (2).

e) *Quintum Principium.* — Quando non satis numerosae sunt sedes liberae ad recitanda omnia initia, quamvis tria uno die ponantur, iam ea subrogari debent Lectionibus propriis in officio, quod prae reliquis est inferioris ritus, minoris dignitatis ac solemnitatis.

Hoc constat 1° ex Rubrica speciali posita in festo Ss. Angelorum Custodum 2 Octobris, ubi legimus : (3) « Lectiones seq. I Noct. eo anno omittuntur, quo in praec. diebus non potest legi initium libri Esther, quod ideo legi debet in hoc festo »: 2° ex decretis 5 Maii 1736, n. 4044 ad tit. 25 dub. 2; 27 Martii 1779, n. 4393 ad 13; et 11 Mart. 1871, ad 3 n. 5472: quae declarant initium libri Esther esse ponendum loco Lectionum de Communi Doctorum in festo S. Hieronymi, quando occurrit feria V quartae hebdomadae mensis Septembris in festo S. Michaelis, et deinde fit de Anniversario Dedicationis propriae Ecclesiae in Sabbato.

Sed si forsan non haberentur in tota hebdomada nisi festa 2ae et 1ae classis, tunc inibi non reponi possent initia impedita.

(1) S. R. C. 26 Nov. 1735, n. 4089 ad 6.

(2) S. R. C. 13 Ian. 1877 apud *Ephem.* Ann. 1891, pag. 153. 17 Ian. 1887, n. 5975, dub. 1.

(3) Haec Rubrica, quae non in cunctis editionibus Breviarii iam antea legebatur, nunc prout expuncta habenda est. Quia die 2 Oct. initium Libri I Machabaeorum legi iam potuit, hinc Liber Esther amittere potuit propriam hebdomadam : quod comprobaretur quando Dom. IV Sept. (computatione ecclesiastica) incidit in diem 21, 22, 23, 24 vel 25 eiusdem mensis. Eapropter ab editionibus recentioribus typicis deleta est. Arroges, festis S. Hieronymi et Ss. Angelorum Custodum inter se comparatis, illud minus esse dignum, ac proinde in illo, haud vero in hoc, reponendum esse praefatum initium si impeditum, quando Dominica I Octobris incidat in diem 3 vel 4 mensis. Redactio.

et omitterentur hoc anno, quia illorum repositio in festis solemnioribus absolute vetatur, et non essent propter hoc in altera hebdomada anticipanda (1).

Quando autem festa sunt gradus inferioris, et per totam hebdomadam undequaque paria, initium recitandum est die, in qua occurrit, et ita declaravit S. Congregatio 28 Iunii 1886, n. 5973 ad 1. usque ad duplex maius.

Pro coronide notemus, quod principium istud non valet nisi pro initiis librorum Scripturae, et quando igitur mensis October quatuor habet tantum Dominicas, si feria V, VI, et Sabbatum, ubi legenda est historia Machabaeorum, pertinens ad quintam hebdomadam, impediuntur per festa Lectiones proprias habentia, tunc omittitur hoc anno historia et non subrogatur propriis Lectionibus, ut eveniret si ageretur de initio alicuius libri (2).

f) *Sextum Principium*. Modus recitandi initia impedita die quo reponuntur, variatur iuxta casus; qui contingere possunt, nisi excipias quod semper transferuntur et dicuntur cum suo titulo.

Hinc 1°: si dies, ubi reponitur, non aliud initium continet, recitatur cum titulo et omnibus tribus Lectionibus, et Lectiones occurrentes possunt ad libitum vel omitti, vel Lectionibus translatis coniungi, iuxta Rubricam n. 6, ita ut in ultima hypothesi omnes tres Lectiones initii efformant primam Lectionem, duae priores diei currentis secundam Lectionem, et ultima diei tertiam Lectionem.

Hinc 2°: si dies, ubi reponitur, iam aliud initium continet, prius initium pro prima Lectione ponitur cum suo titulo et unica, vel duabus, vel tribus suis Lectionibus, uti magis recitanti Breviarium placuerit (quia Rubricae nihil determinant), et alterum efformat secundam et tertiam Lectionem, et adhuc sufficit ut duae priores sumantur, et omitti, vel dici ad libitum potest tertia Lectio huius secundi initii.

---

(1) S. R. C. 5 Mai. 1736; 27 Mart. 1779.

(2) Rubr. spec. ante Fer. V. hebd. IV Octobris: *Ephem. Liturg.* anno 1897, pag. 317.

Hinc 3°: si dies, ubi reponitur, iam habere debet duo alia initia, unica Lectio cuiusque initii de praecepto est dicenda cum suo proprio titulo; reliquae possunt vel omitti, vel per modum unius adiungi respective dicendis (1).

g) Septimum Principium. Post repositionem initii impediti, sumuntur deinde Lectiones de feria occurrente, et negliguntur feriae praeteritae, nisi excipias historiam Machabaeorum.

Hinc 1°: si aliqua Dominica anticipetur in feria III, initium ponetur in feria IV, sed feria V non leges Scripturam de feria II hebdomadae anticipatae, sed Lectiones de feria V, et sic deinceps, negligendo ferias anteriores.

Hinc 2°: historia Machabaeorum non est in suo ordine perturbanda, ita ut prima die non impedita legantur Lectiones Dominicae, secunda die Lectiones feriae secundae, et sic deinceps, quin attendatur ad qualem feriam pervenimus (1).

Sic credimus omnia, quae pertinent ad hanc valde difficilem et implicatam materiam, sufficienter compendifecisse, et nostra principia posse ad tyrones multum inservire ad solvendas varias difficultates, quae surgere possunt.

A Fournéret
ex Acad. Liturg. Roman/
Curé de Lannes (diocèse de Langres).

(1) S. R. C. 5 Iul. 1698, n. **2002** (3477) ad 11.

(1) Magis probanda videtur doctrina De Herdt, qui Gavanti Tabulis innititur, et sustinet, ordinem historicum esse quidem sequendum tribus primis diebus, in reliquis vero Lectiones dicendas iuxta occurrentes ferias. Id enim tantum e speciali Rubrica eruitur, quae exceptionem facit pro Lectionibus Dominicae, feriae II et III, non vero pro aliis sequentium feriarum.

Redactio.

QUORUMDAM PRIVILEGIORUM INTERPRETATIO.

In 4 Ephemeridum numero (pag. 232) nonnulla relata fuerunt ex privilegiis, quibus fruitur R.mus P. Nunc autem nonnulla oriuntur dubia super interpretatione eorumdem privilegiorum, quae consequenter expendere cogimur. Textum privilegiorum saltem praecipuum, iterum referre necessarium ducimus, ne lectores adigantur ad praefatum numerum redire.

Itaque praefato P. concessus fuit: *usus Mitrae pretiosae, baculi pastoralis, etiam sine velo appenso, crucis pectoralis, annuli sandalium et chirothecarum in Missis ac respective in Vesperis solemnibus in... Ecclesia* (S. A. Ap.) *diebus sibi bene visis (non tamen eodem tempore, quo ab Episcopo in Cathedrali peraguntur Pontificalia) celebrandis, nec non usus luminis seu candelabri vulgo* **bugia,** *tam in dictis Missis et vesperis solemnibus quam in Missis privatis, cum facultate dandi trinam benedictionem more episcopali, nec non privatim quoque benedicendi populo intra dictam Ecclesiam tantum, et absente Episcopo, in aliis vero Ecclesiis nonnisi de licentia eiusdem Episcopi, cui praeterea intelligatur reservatum ius accedendi ad praedictam Ecclesiam S. A. quandocumque et quotiescumque voluerit, tam processionaliter cum suo clero, quam privatim et ad sui libitum pro exercendis ibidem quibuscumque functionibus ecclesiasticis; et eo in casu, quoad sedem Episcopi et illam P., nec non quoad ritus, et caeremonias serventur praescripta in Decreto circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus, concessorum a S. R. Congregatione, edito sub Alexandro VII. die 27 Sept. 1659. n. 15.*

Nunc quaeritur: I Ad quaenam superiora verba refertur conditio de absentia Episcopi, « et absente Episcopo »?

Resp. Refertur ad verba « cum facultate dandi trinam benedictionem more Episcopali, nec non privatim benedicendi populo infra dictam Ecclesiam ». Videlicet, P. non potest, praesente Episcopo, impertiri trinam benedictionem more episcopali, neque privatim benedicere populo, etsi in Ecclesia S. A. Ratio est, quia haec duo, hoc est trina benedictio in Missis, et privata benedictio de qua in casu, nimis sunt odiosae respectu Episcopi praesentis, ita ut nunquam concedantur, uti facile unusquisque intelligit. Accedit ratio litteralis textus: idem enim verbum, nempe « cum facultate » regit utrumque gerundium, *dandi trinam benedictionem, ut nec non privatim benedicendi.*

Non potest autem referri ad alia superiora verba, nempe ad usum mitrae, baculi etc; quia secus sensum exhiberent contradictorium. Etenim certum est, P. de iure posse facere Missam et Vesperas pontificaliter in sua Ecclesia, etiam praesente Episcopo, dummodo servetur dispositio num. 15 Decreti Alexandri VII circa usum Pontificalium. Porro hoc in numero nullum ex praefatis indumentis pontificalibus prohibetur: consequenter Bulla negaret et concederet eadem pontificalia indumenta, quod nefas est asserere.

Quaeritur 2. Episcopo in Ecclesia S. A. functionem agente, licet ne P. assistere pluviali ac Mitra induto?

Resp. Negative. 1. In Indulto, cuius textualia verba ab initio retulimus, agitur *tantum* de Missa Vesperisque Pontificalibus, quae P. permittuntur, sive absente, sive praesente Episcopo: dummodo hoc altero in casu servetur dispositio Alexandri Papae VII, n. 15; de usu Mitrae vel pluvialis ex parte P., Episcopo peragente functionem, silet Indultum. Ergo neutrum licebit in casu, saltem vi eiusdem Indulti; cum praeter relatum textum alia privilegia in

dicto Indulto non legantur circa peculiaria illi permissa indumenta, functionem Episcopo peragente. 2. Quando Episcopus aliquam functionem in Ecclesiis suae dioecesis est peracturus, ius habet invitandi Canonicos suos, vel aliquos saltem, ne Cathedralis Ecclesiae servitium patiatur damnum. Aut ergo Canonici ut Episcopo inserviant praesentes sunt, aut non. Si primum, P. ius nullum possidet, licet in sua Ecclesia, inserviendi Episcopo, cum id honoris Canonicis Cathedralis Ecclesiae citra controversiam competat, id praedicantibus sine fine Decretis, sive Tribunalis Sacrorum Rituum, sive Congregationis Concilii. Si alterum, illa induere poterit praefatus P. indumenta, quae ei permissa pro servitio Episcopi ex iure communi. Atqui nusquam legitur, neque in Rubricis Caeremonialis Episcoporum, neque in Decretis, Rectores Ecclesiarum posse inservire Episcopo Mitra indutos; ergo. Quod pluviale attinet, induere illud poterit, si munus quod agere debet, postulet: ex. gr. si in Missa, aut etiam, ubi usus viget, in Vesperis pontificalibus, officio fungeretur Presbyteri Assistentis, vel si cum aliis in choro, pontificalia Episcopo agente, pluvialibus indutis assisteret etc. Secus, uti aliis denegatur, ita et ipsi P.

Quaeritur 3. Quid sibi velint sequentia verba: « In aliis vero Ecclesiis, nonnisi de licentia eiusdem Episcopi »?

Resp. Significant, quod sicut P. *in Ecclesia S. A.* Pontificalia Missarum et Vesperarum agere potest *diebus sibi bene visis*, ita haec eadem praefatus P. exercere non potest *in aliis Ecclesiis*, nisi *quando licentia Episcopi intercedat*. Adeo ut, sicuti *Ecclesia S. A.* et *aliae Ecclesiae*, ita verba *diebus bene visis* et *nonnisi de licentia Episcopi* maximam habeant inter se relationem.

Inferes ornamenta pontificalia, quibus praedictus P. uti potest in aliis Ecclesiis, eadem esse, quae eidem in sua Ecclesia concessa fuere. Ratio enim non suppetit, ob quam

alia diversa adhibere debeat, puta Mitram lineam pro pretiosa, vel aliqua omittere, puta baculum pastoralem etc. Aliunde Indultum hanc limitationem non ponit, neque aliis licet illius iura minuere, praeterquam legislatori. Aliunde norma pro Praelato Episcopo inferiori nequit in casu habere locum, quia Praelati P. privilegia magis late patent quam illa quae in dicta norma habentur, uti satis abunde constat. Unde, etiam ipso Episcopo praesente, P. non tenetur se conformare Decreto Alexandri VII, nisi quod spectat tantummodo numerum quintum decimum: in reliquis suis privilegiis standi iure gaudet.

Quaeritur 4. Invitatus P. ad celebrandum private in aliis Ecclesiis, debet ne se gerere uti simplicem sacerdotem, hinc sine palmatoria, quin indumenta ex altari sumat, et sine trina benedictione?

Resp. Palmatoria praefato P. explicite conceditur in Indulto *tam in Missis et Vesperis solemnibus quam in Missis privatis*; ergo ei palmatoriae honor non potest in casu denegari. Sed oppones, in Indulto dici *intra dictam Ecclesiam*, seu S. A., *tantum*; ergo non in aliis. Respondeo: dato, non tamen concesso, limitationem respicere etiam palmatoriae usum, sequeretur saltem, posse eodem honore uti in aliis quoque Ecclesiis de licentia Episcopi. Diximus, *dato, non tamen concesso*, quia limitatio loci non respicit honorem palmatoriae, quae generaliter conceditur, *tam in Missis, et Vesperis solemnibus quam in Missis privatis*; verba autem *infra dictam Ecclesiam tantum* respiciunt solummodo trinam benedictionem et benedictionem privatam. Id etiam certo constat ex aliis concessionibus, longe maioribus; non enim supponitur legislator minus voluisse P. denegare, qui plus eidem concessit. Concessit autem, quod longe maius est, ut indumenta sumat ex altari in Missis solemnibus et privatis, « se induendi sacris vestibus ad altare, etiam in Missis

privatis (Ex Bulla) », quinimo utendi etiam pilcolo ab initio Missae ad Canonem (Ibid.), quod sine specialissimo Indulto solis datur Episcopis. Silemus de trina benedictione ; quia indubie ex Indulto palam fit, eam a P. dari non posse extra Ecclesiam S. A., sine Episcopi venia.

Ut negotium clarescat, referre necessarium ducimus ad literam verba Indulti, quae sic se habent : « ... Facultatis eidem P. benedicendi calices, patenas, imagines, campanas, aliasque sacras supellectiles pro usu dictae Ecclesiae S. A. tantum, **non tamen approbandi sacras Reliquias, easque proprio signo muniendi**, se induendi sacris vestibus ad altare, etiam in Missis privatis, **non tamen in faldistorio,** utendi in iisdem pelvi et urceolo argenteis pro lotione manuum, pilcolo ab initio Missae usque ad Canonem **sine speciali Indulto S. Sedis,** incedendi publice per civitatem Mantuae cum veste talari et mantelletta violacei coloris **sed sine rochetto et mozzetta et absque cruce pectorali.** ».

Super quibus verbis notanda sunt ea, quae diversis typis studio signavimus. Si enim quid videmus, dicta verba limitant quae in Indulto conceduntur. Ita 1. Conceduntur plures benedictiones, sed negatur facultas *approbandi sacras Reliquias easque proprio signo muniendi*. 2. Conceditur privilegium se induendi sacris vestibus ad altare, etiam in Missis privatis, sed negatur privilegium *utendi in his faldistorio*. 3. Conceditur usus pelvis *et urceoli* ex argento in dictis Missis *pro lotione manuum, pilcoli ab initio Missae usque ad Canonem sine speciali Indulto S. Sedis*, item facultas *incedendi publice per civitatem Mantuae cum veste talari et mantelletta violacei coloris ;* sed ponitur limitatio quaedam, vi cuius P. interdicitur ab usu rochetti, mozzettae et crucis pectoralis.

Nos intelligere nequimus quomodo diversam dicta Indulti verba possint interpretationem admittere. Si enim

verba « *se induendi sacris vestibus ad altare* » refers ad limitationem seu restrictionem, non ad concessionem, admittere cogeris sequentia verba « *non tamen in faldistorio* » esse prorsus sine sensu. Sane, si Indultum non concedit facultatem se induendi ad altare etiam in Missis privatis, quid significare valent sequentia verba « non tamen in faldistorio? » Si haec ultima verba restringunt, uti patet quid restringerent, si nihil concessum fuit? Idem dicas de aliis restrictionibus, ex quibus illam, de qua modo diximus, alia praecedit, alia sequitur: ita ut quaevis restrictio, sensum habere nequeat, nisi relativam concessionem admittas.

Specialibus quoque typis signavimus verba « *sine speciali Indulto S. Sedis* », ut significaremus, haec verba nullam limitationem exprimere, uti facile quisque videt, sed sibi tantum velle, pileolum praefato P. esse in Indulto concessum, et ullum aliud speciale S. Sedis Indultum non requiri. Aliorum quoque peritiorum iudicium hac super re exquisivimus, nostroque plane fuit conforme.

Eapropter, vi relatae partis Indulti, P. conceditur, praeter alia, ut possit sē induere ad altare in Missis pontificalibus ad thronum, atque in privatis ante gradus altaris et stans: ut adhibere valeat pelvim et urceolum argentea, pileolum usque ad Canonem seu ad Praefationem, uti Episcopi: ut denique vestem talarem ferat et mantellettam violacea per Mantuam, non tamen rochettum, mozzettam et crucem.

Quaeritur 5. In propria Ecclesia, circa modum Pontificalia peragendi, praefatus P. nonne tenetur servare normas in Decreto Alexandri VII exhibitas, privilegiis exceptis illi explicite concessis?

Resp. Ita sane. Cum enim agatur de Pontificalibus a Praelato peragendis, qui est Episcopo inferior, ab alio codice normas nequit accipere, praeterquam ab illo, qui pro

iisdem praelatis statutus est a legislatore, nempe a praefato Decreto. Quod ceterum in ipsa Bulla explicite notatur his verbis : « ut ultra usum Pontificalium a Bulla Sixti IV concessorum Primicerio **more Abbatum tantum**, eidem concedatur usus Mitrae pretiosae etc. etc. Porro normae pro eiusmodi Pontificalibus illae adamussim sunt, quae in praefato Decreto Alexandri VII describuntur.

Quaeritur 6. Potestne praelaudatus P. pro Missa et Vesperis pontificalibus paramenta in secretario sumere, iisque se in eodem exuere ?

Resp. Secretarii nomine hic venit sacellum, de quo Caeremon. Episcop. (*Lib. I, cap. 15, n. 7 et alib.*) pro Episcopo in Cathedrali Ecclesia paratum, ad sumenda et deponenda paramenta pontificalia. Principio inhaerentes in superiori responso statuto, reponendum credimus : Negative. Hoc enim sacellum pro vestibus induendis et deponendis Episcoporum est, qui Dioecesani sunt, et quidem cum in sibi subiectis Ecclesiis Pontificalia Missarum aut Vesperarum celebrant. Hinc de eo loquitur Caeremoniale Episcop. utpote de amplioris honoris signo, quod Ordinariis competit, haud vero aliis, licet sint episcopali charactere aucti. Hinc Martinuccius ait : Paramenta induent apud altare **non in Secretario,** neque processionem exequentur post cantum Tertiae (*Lib. VII, cap. III, n. 6*) : loquitur autem in genere de Praelatis Episcopo inferioribus, inter quos, recenset, uti recensendi sunt, signanter Abbates.

Quaeritur 7. Licetne eidem P. Sedem stabilem tribus gradibus in sua Ecclesia retinere ?

Resp. Ex una parte Indultum Sedem fixam cum tribus gradibus praelaudato P. non concedit, saltem explicite, et Decretum Alexandri VII sedem amovibilem in eaque duos tantum permittit gradus. Ex altera vero dicitur in Indulto : **praesente Episcopo**, *quoad Sedem Episcopi et illam Primicerii . . . . serventur praescripta in*

Decreto . . . edito sub Alexandro VII, n. 15, in quo praecise Sedes, pro Praelato, duorum graduum praescribitur. Ergo, concludi posset, **absente Episcopo,** Sedem cum tribus gradibus habere P. potest. Sed reponimus, conclusionem non esse admittendam; quia Indultum sic se expressit *ad urgendum*, ut ita dicamus, ut significaret nempe Decretum Alexandri VII eo in casu esse maxime in praxi rediigendum ad sartam tectamque servandam dignitatem Episcopi: cum cetero idem Decretum semper a P. servari debeat, quando non suffragatur Indultum, ut in casu.

Quod peculiariter spectat stabilitatem Sedis, maior dici prima fronte posset difficultas. Exploratum est quidem, eam non esse explicite in Indulto permissam, et expresse vetitam in Decreto Alexandri VII *(num. 3)*. Verum ratio prohibitionis est, quia Praelati Episcopis inferiores ter tantum in anno, et diebus solemnioribus *(num. 2)* agere Pontificalia permittuntur; ut quid ergo Sedem habere fixam, cum perrarus illius usus esse debeat? E contra fixam habent Episcopi Ordinarii in Cathedrali Ecclesia, quippe qui ea uti possunt quotiescumque eis libet. At haec ratio, non illa, laudato P. favere videtur: ut secus continuo cogeretur thronum erigere et destruere; quod grave nimis apparet. Nihilominus arbitramur, legi standum esse, quae dicto P. refragatur, cum de cetero, quamvis absolute possit, praesumi non debeat eum quotidie Pontificalia agere. Consequenter, cum Indultum de hoc sileat, Decretum Alexandri VII sit illi contrarium, et de odiosis agatur restringendis, potius Episcopi, non vero P. dignitati favendum esse tenemus.

Quaeritur 8. Quid de Abaco dicendum solemnioris formae, cum solemnioribus diebus Pontificalia peragit?

Resp. Silente Indulto, hoc tantum respondere possumus: « Non abacum alium praeter parvam mensam, et in cornu Epistolae, parare faciat, in qua duo candelabra cum

candelis, nec non mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur. (*Decr. Alex. VII, n. 4*). »

Quaeritur 9. Cum mitram pretiosam P. gestare valeat, potest ne etiam chirothecas et sandalia ornata deferre ?

Resp. Indultum, quod de mitra pretiosa locutum est, poterat citra quaestionem de chirothecis acu pictis, et sandaliis opere phrygio decoratis verba facere : quod tamen cum non fecerit, legi communi standum est, vi cuius Praelatis Episcopo inferioribus dicta ornamenta non competunt. Haec praelaudatus Martinuccius ad rem habet : « Notandum quod sandalia et caligae esse debent ex serico simplici sine opere phrygio ; itemque chirothecae sint simplices neque acu pictae (*Loc. cit. n. 11*). » Nec necessariam videmus inter mitram pretiosam et adornata sandalia connexionem, ut si Indultum illam concedat, et haec concedere censendum sit : legislator quod voluit expressit.

Quaeritur 10. Annulus unam ne tantum habere debet gemmam, an plures potest ?

Resp. Affirmative ad primum, consequenter ad alterum negative, idque semper ex superallata ratione : ex qua auctores omnes, privilegio secluso, annulum aureum quidem, sed cum unica gemma tantum, ullo sine alio ornamento, legi inhaerentes, permittunt in casu.

Quaeritur 11. Licet ne praefato P. deferre Mozzettam in Ecclesia S. A. ?

Resp. In Ecclesia, etsi sua, non licet P. deferre Mozzettam sicut Episcopo licet, quia in Indulto ipsi non conceditur, et in lege generali prohibetur. Hoc enim indumentum omnimodam iurisdictionem significat, quam P. etiam in sua Ecclesia non possidet , et quam in ea iure habet ac totam loci Ordinarius.

Quaeritur 12. Praeter paratos ministros Missae sole-

minis, potestne dictus P. habere alios assistentes in choro, pluviali, planetis et dalmaticis indutos?

Resp. Praeter ministros paratos P. habere potest in Pontificalibus alios Presbyteros assistentes *sex*, ex quibus *duo pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis indu-ti*, ita aperte Decretum Alexandri VII, n. 7.

Quaeritur 13. Praegustatio panis est ne toleranda?

Resp. Negative. 1. Caeremoniale Episcoporum admittit eiusmodi ritum quando agitur de Missa Pontificali Episcopi dioecesani. Cum vero agitur de eadem Missa Episcopi Titularis, aut Praelati Episcopo inferioris, communiter ab auctoribus praegustatio panis aut vini non admittitur. 2. Consuetudo enim invaluit, ut quidam ritus et caeremoniae, quamvis iurisdictionem non significent, sed tantum amplioris sint honoris manifestationis, soli tamen tribuantur Dioecesanis Episcopis, secluso privilegio. Ita ex. gr. accidit de duobus Diaconis assistentibus, ita de septimo candelabro, ita de ultimo Evangelio dicendo a Dioecesano, dum ad thronum pergit, atque ita etiam de panis aut vini praegustatione. 3. Ita in Urbe nullus ex Titularibus Episcopis hanc fieri praegustationem praetendit in sua Missa Pontificali: num P., de quo agitur, magis erit privilegiatus hac in re Episcopo Titulari, quamvis hic ad faldistorium, ille ad thonum celebret? 4. Si de hac panis vinique praegustatione silent et Decretum Alexandri VII pluries citatum, et Constitutio Pii Pp. IX pro Protonotariis Apostolicis *ad instar* emanata, exploratum nihilominus est, negativum eiusmodi argumento praefato P. suffragari non posse, quippe qui utpote Praelatus, debet abstinere ex generali lege *ab aliis quibuscumque ritibus et caeremoniis* (nisi privilegium suppetat) *nonnisi S. R. E. Cardinalium et Episcoporum propriis*.

Quaeritur 14. Magister Caeremoniarum, quo P. uti-

tur, potest ne vestem violaceam adhibere, et gestare ferulam ?

Resp. Negative, nisi peculiari gaudeat privilegio, de quo, inspecto Indulto, non constat. Magistri caeremoniarum, quibus ius competit usus vestis talaris violaceae, non tamen sericae materiae, sunt ii, qui ad Cathedrales Ecclesias pertinent, sive electi ab Episcopo, sive a Capitulo : id iuxta Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I, Cap. 5, n. 6*). Postulatum est apud S. R. C. in una *Forosempronien.*, cuius clerus Sacrum praefatum Tribunal adiit, *ut declarare dignaretur* : « An magistris caeremoniarum Cathedralis competat usus vestis violacei coloris ? Et S. R. C. Affirmative respondit, nempe iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum Lib. I, cap. 5, vers. *Eorum habitus :* non tamen sericae materiae, neque cum globulis, aliisque ornamentis rubei coloris (*3 Sept. 1661, n.* **1213** (*2130*) ». At notandum, id honoris dictis Caeremoniarum magistris competere « tantum in functionibus episcopalibus ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli (*Aquilana, 22 Ian. 1735 ad 3, n.* **2310** (*4028*)) ». Quod dictum est de veste, ad ferulam applices ; namque exquisita S. R. C. circa usum *vestis violaceae cum ferula in sacris functionibus deferendae a Caeremoniarum magistro*, respondit : « Serventur praescripta a Caeremoniali Episcoporum circa vestem violaceam et ferulam gestandam, prout legitur lib. I, cap. 5, § 4 ; quare huiusmodi color et ferulae gestatio convenit solummodo Caeremoniariis Ecclesiae Cathedralis (*Bergomen. 21 Mart. 1744*, n. **2376** (*1155*) ad 5). » Obiter innuimus, Capitulum quoddam perinsignis Basilicae cuiusdam Romanae, minoris tamen, vestis violaceae nuper quaesiisse a Summo Pontifice privilegium, sed voti compos factum non fuit.

Quaeritur 15. Adhibere ne potest nigrum pileolum in Pontificali Missa, ab initio illius ad Praefationem usque ?

Resp. Affirmative. Indultum eiusmodi honorem dicto P. concedit citra controversiam in Missis privatis; sed ita se exprimit, ut et illud tribuat in solemnibus. Ait namque, eumdem P. gaudere privilegio « se induendi sacris vestibus ad altare, etiam in Missis privatis, non tamen in faldistorio, utendi **in iisdem** pelvi et urceolo argenteis pro lotione manuum, *pilvolo ab initio Missae usque ad Canonem sine speciali indulto S. Sedis etc.* Porro in quibus Missis, nisi in iisdem, de quibus superius Indultum dixerat? Atqui superius dixerat *in Missis* **etiam** *privatis*; ergo manifeste Indultum id honoris P. concedit in solemnibus seu in Pontificalibus: secus particula adverbialis **etiam** non haberet sensum, uti satis abunde perpendenti patet.

Quaeritur 16. Quando in Cathedrali Ecclesia una simul intervenit cum aliis Parochis loci, potest ne P. induere Rochetum et Crucem pectoralem? Atque ita cum ad alias Ecclesias pergit etiam solus, sive ut aliis functionibus sacris assistat, sive concionandi causa?

Resp. Rochetum et Mantelletta duo sunt Praelatorum indumenta, quorum alterum ab altero ita inter se differunt, ut alterum alterum non includat, et altero concesso, non intelligatur concessum alterum, nisi explicita concessio fiat. Id certum est 1. ex Decreto Alexandri VII, in quo Regularibus Rochetum denegatur, nisi iis ratione Ordinis, ad quem pertinent, debeatur (*n. 3*). Praefatus autem P. iis in origine succedit, uti ex Indulto pluries citato constat, quibus non debetur (1). 2. Quia Praelati Romani, quibus Mantelletta episcopali more conceditur, alio indi-

(1) Mirari quis posset Abbates aliquos ex Ordine S. Benedicti Abb. cernens Rochetum gestantes. Sed notatum volumus, factum non probare ius, quamvis illud explicari posset, imo debeat. Itaque certum est, Abbates praedictos Rocheti gestandi non gaudere iure, sed generaliter *privilegium personale* petere a S. Sede, quod benigne conceditur.

gent Indulto, ut Rochetum adhibere licite valeant. Notandum praeterea, quod Indultum non dat privilegium Rocheti, sed explicite negat, quando Praefatus P. publice per civitatem suam cum veste talari et Mantelletta violacei coloris incedere potest. Nec solum denegat Rochetum, sed etiam in casu Crucem pectoralem: ut consequenter neutrum ex dictis ornamentis adhibere possit. Aliunde Crux pectoralis in Indulto ipsi conceditur; sed *in Missis ac respective in Vesperis solemnibus* tantum, non autem in aliis rerum locorumque adiunctis. Ergo, Rocheti Crucisque pectoralis usus, in casu de quo agitur, cum ex generali lege denegetur, et ex indulto non concedatur, manifeste consequitur ad propositum dubium negativa responsio. Id quidem intelligas, nisi praefatus P. privilegium Rochetti ex alio fonte, quam ex noto nobis Indulto, hauriat.

Quaeritur 17. Dictus P. ius ne habet ad genuflexionem dum sacras functiones peragit, maxime pontificales, saltem in Ecclesia S. Andreae?

Resp. Negative: genuflexio debetur Papae in universo Orbe, Cardinalibus in eorum Titulis et in omnibus Ecclesiis extra Urbem, Ordinariis in earum dioecesibus, nullique alii Praelato, sive Episcopus sit, sive Episcopo inferior. Ita omnes communiter.

Quaeritur 18. Induere ne potest Mitram in functionibus mortuariis?

Resp. Negative. Mitra enim, nemine contradicente, ad pontificalia ornamenta pertinet. Sed de pontificalibus ornamentis adhibendis in officiis defunctorum Indultum plane silet, et lex generalis apertum fert vetitum. Illud Indultum legenti patebit: istud vero patet ex sequentibus: « Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis Defunctorum quocumque die, etiam festivo et de praecepto (*Decr. Alex. VII, n. 5*) ».

Quaeritur 19. Praelaudatus P. potest ne suum stemma

praeseferre et ostendere super maiori Basilicae S. A. ianua depictum, spiritalem dicti P. iurisdictionem significans, quod consistat in pileo violacei coloris sex cum floccis in unaquaque parte, in iisque mediis sacra vasa Sanguinis e latere Christi manantis ?

Resp. Ad Insignia indubie referuntur stemmata gentilitia, de quibus Caeremoniale Episcoporum Lib. I, cap. XII, n. 3 : quae apponi quidem possunt, pro locorum consuetudine, supra portae Ecclesiae superliminare. De iis autem explicite ait praefatus codex, posse pro libito poni in festivitatibus praecipuis ac solemnioribus Ecclesiarum. At quorumnam insignia ? Quorumcumque ne virorum ? Negative profecto, sed eorum tantum, qui dignitate praefulgent : inter quos non enumerantur, sed excluduntur explicite qui Episcopis sunt inferiores. En textus legis: « Insignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, Reipublicae, Principis aut Civitatis, pro libito ponentur, servando in eorum positione ordinem dignitatis : inferioris vero ordinis hominum, maxime laicorum, insignia non sunt apponenda (*Loc. sup. cit*)». Quae verba cl. De Herdt exponens ait : « Insignia Praelatorum aut Dignitatum Episcopo inferiorum apponere non licet (*Prax. Pontif. ad loc. cit. (b)*. » Et rationem addens, prosequitur : « . . . cuius insignia permittuntur, intelligitur ille solus, qui non recognoscit superiorem (*Loc. cit.)*. » Verum, quamvis cl. P. multis ac singularibus gaudeat privilegiis, dubitari nihilominus nequit, esse ipsum Episcopo loci subiectum : quam subiectionem recognoscere cogitur, in ipsa Ecclesia sua S. A. quoties illic idem Episcopus quascumque functiones pro suo beneplacito agere voluerit. Ergo etiam negative ad propositum hoc quaesitum respondere cogimur.

Arroges sex in stemmate ab unaquaque parte flocculos habere Episcopi esse proprium, sicut decem proprium

est Archiepiscopi, et quindecim proprium Eminentissimorum Patrum : tres tantum flocculi Protonotariorum proprii sunt. Hinc et praefatum numerum approbare nequimus, nisi peculiaria illum momenta cohonestent, quae nescimus.

Quaeritur tandem 20. Episcopus institutionem canonicam alii P. aut cuicumque alii Dignitario tribuens aequalibus prope privilegiis exornato, potest ne exigere ut privilegiatus continia ei praescripta non praetergrediatur, et ut pluries relatum Decretum Alexandri VII servet, denunciationem poenae simul iis comminans, vi cuius ad tempus suspendentur praefati Dignitarii, quoties privilegiis abutantur, a Pontificalibus agendis, iisque in abusu persistentibus, a S. Sede implorabitur antiquorum privilegiorum abrogatio ?

Resp. De fere novo, ut ita dicamus, inducendo ritu dum Episcopus loci aliquem in possessionem Dignitatis immittit, silemus : ipsemet loci Episcopus pro sua prudentia iudicet. Hoc unum nobis liceat animadvertere, Episcopo Ordinario loci potestatem esse factam a S. Sede Apostolica, imo obligationem esse ipsi ab Eadem impositam, ut manum teneant, poenasque canonicas infligat, ne abusus hac super re introducantur. Constat ex eodem Decreto Alexandri VII (*num. 21*), quo edicitur : « Indulgitque praeterea (*Sanctitas Sua*) Locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant, praefatos etiam per censuras compellere ».

Optandum profecto ut ordo servetur inter Episcopum et Dignitarios, si qui sint, in dioecesi. Quod enim illi de iure communi competit, his nonnisi ex privilegio concessum est. Ratio ergo postulat, ut ordo non invertatur, et unusquisque, sed maxime Ordinarius, utpote omnibus in dioecesi superior, iura sua servet. Si enim privilegiatus ius habet suis privilegiis utendi, et quoddam etiam onus, ne suis successoribus odio sit ; omne ius et obliga-

tionem possidet Episcopus ut suis rationibus non cedat, cum id plane repugnet Episcopali dignitati. Ceterum numquam satis praedicabitur tritum adagium, *unicuique suum*; ita tamen omnia serventur iura, ut caritas et prudentia nunquam deficiant.

AD CALENDARIORUM REDACTORES

MONITUM.

Quando Redactores ordinaverint Calendarium pro anno 1899 memoria memores sint, numerum aureum insequentis anni 1900 esse 1. Hoc autem in casu, iuxta instructionem in Martyrologio exhibitam, a die prima Ianuarii usque ad proximum novilunium aetas lunae, posita sub littera N, pronuntietur una die minor quam in Martyrologio signatur: videlicet pronuntietur numerus sub litera M: adeo ut die 1 Ianuarii repetendus sit numerus 29, uti die 31 Decembris praeteriti.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Iunio 1898 propositae.

PROPOSITIO

Quomodo, iuxta Breviarii Rubricas, diversae tractandae sunt Dominicae, quae infra aliquas differentes Octavas occurrunt sive hae pertineant ad universalem ecclesiam, sive ad ecclesias particulares, et sint etiam privilegiatae?

SOLUTIO

Difficultas, quae enodanda proponitur, tota sita est in distinctione Dominicarum et in differentia Octavarum: unde plura exhibere praeliminaria iuvat, ut exinde solutionis elementa perfecte cognoscantur.

a) Duo sunt Dominicarum genera, in quibus variae occurrere possunt Octavae, nempe: 1° Dominicae maiores, 2° Dominicae minores.

Maiores, ait Meratus *(Sect. 3, cap. 5, n. 1)*, illae sunt, in quibus praecipua Creationis et Redemptionis recoluntur mysteria. Huiuscemodi reputantur omnes Dominicae Adventus, quaelibet aliae a Septuagesima ad Dominicam in Albis, et a Pentecoste ad Trinitatem; sed ad rem veniunt tantum tres priores Dominicae Adventus cum Septuagesima, Sexagesima, et Quinquagesima, quia Rubricae Breviarii Romani, a 17 Decembris usque ad Epiphaniam, a Quadragesima ad *Quasimodo*, et a Pentecoste ad Trinitatem, non amplius recognoscunt Octavas nisi quae sunt in Calendario ecclesiae universalis.

Minores aliae omnes vocantur, quae per totum anni decursum occurrunt, sed diversimode classificantur, prout sub uno vel altero respectu conspiciuntur. Hinc, privilegiatae cognomine dicuntur, quae incidunt infra Octavas vel Nativitatis, vel Epiphaniae, vel Ascensionis, vel Corporis Christi, quia gaudent maxime officio harum Octavarum, et praecipue participant earum festivitati cum novem duntaxat Psalmis ad Matutinum, et omissis quoque Precibus et Suffragiis. Si festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae, et Ss. Innocentium occurrerit in Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica, quae idcirco vacans nuncupatur, sicut et in casu ubi incidit in Epiphaniam et diem eorumdem Octavam: sed hoc Dominicarum genus non pertinet ad quaestionem, ut patet, quoniam prorsus deficit in casu. Reliquae vero non vacantes appellantur, de quibus fit officium vel integre, vel saltem partialiter per commemorationem.

b) Duo pariter distinguuntur Octavarum genera, scilicet: 1° Octavae privilegiatae, 2° Octavae communes.

Privilegiatae nominantur illae, quae aliqua praelatione vel maiori distinctione fruuntur sive quoad celebrationem aut commemorationem suam, sive quoad officium Dominicae, quod infra Octavam incidens plurima ex festo usurpat. Huius classis sunt solum Octavae Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, et Corporis Christi, quamvis attendendum non sit in casu ad Octavas Paschatis et Pentecostes, quoniam infra illas nulla Dominica occurrere valet.

Communes sunt aliae omnes, quae nullo gaudent privilegio sive ad exclusionem officiorum occurrentium aut translatorum, sive ad officium Dominicae infra illas occurrentis, quae semper iuxta solitum celebratur ut in Psalterio, Precibus et Suffragiis tantum omissis ratione Octavae.

Quibus positis, quaeritur nunc quomodo, iuxta Breviarii Rubricas, tractandae sunt variae Dominicae, quae infra differentes Octavas evenire queunt, sive agatur de Octavis ecclesiae universalis, sive de Octavis, etiam privilegiatis ad instar, ecclesiarum particularium? Ad quod respondemus per assertionem generalem, quam deinde subsequentur variae particularitates ad differentes casus propriae.

Assertio generalis. Solae Dominicae privilegiatae in Rubrica designatae sibi vindicant officium sicut infra Octavam festi et in Proprio de Tempore (1); omnes aliae vero, etiamsi indultum speciale sineret aliquas Octavas sive ecclesiae universalis sive ecclesiarum particularium celebrari ad instar, conservant suum officium, ut in Psalterio, paucis tantum mutandis ratione Octavae.

---

(1) Solas Dominicas infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, officium proprium vindicare sibi, res est prorsus indubia, vi intelligas Rubricarum. Quare autem? Cl. Academico nostro adhaerentes et nos reponimus: quia festa Domini sunt. Optime. Verum, sunt ne in Breviario alia festa Domini cum Octava, quae infra se habeant Dominicas cum officio proprio non recolendas? Negative. Ergo omnia festa Domini octavam habentia, quae in Breviario Romano sunt, si habeant infra se Dominicam, huius officium est proprium, hoc est Octavae particeps. Ratio est, quia officium Dominicale, uti ipsum verbum exprimit, ad Dominum pertinet, et pertinet ad Dominum ipsum officium Octa-

Probatur primo ex ipsa Rubrica (*Tit. IV, n. 2.*): «De Dominicis infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Christi occurrentibus, officium fit sicut infra Octavam et in Proprio de Tempore». Quod certe istis solis Octavis peculiare est, Rubrica prosequente: «In Dominicis vero, quae occurrunt infra alias Octavas, totum officium fit de Dominica ut in Psalterio et in Proprio de Tempore... omissis Precibus et Suffragiis». Hinc inibi habes regulam generalem, quae comprehendit et Octavas ecclesiarum particularium sicut et Octavas ecclesiae universalis, nisi dicere velis (quod nefas est) Rubricam esse mancam, et nullibi reperiri posse quid in casu particularium Octavarum sit faciendum.

Confirmatur ex *Tit. VII, n. 3.* Facta siquidem enumeratione festorum, quae cum Octava celebrantur in ecclesia universali, additis deinceps Octavis ecclesiarum particularium, nempe de Dedicatione, de principali Patrono, de Titulari primario, et de aliis Sanctis, qui apud quasdam ecclesias, Congregationes, et Religiones consueverunt solemniter cum Octavis celebrari, quid statuit? «De Dominicis infra Octavas occurrentibus, fit officium ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis», id est, sepositis Octavis Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, omnes aliae in Dominica infra Octavam officium dominicale habent ut in Psalterio, cum praesens Titulus ad hanc generalem remittat regulam, quae nonnisi praefatam distinctionem recognoscit.

In hoc ceterum conspirant omnes Liturgistae. Audi, verbi gratia, Guyetum nostrum in sua *Heortologia, lib. 4, cap. 2, q. 3.* «Antiquorum Breviariorum fuit usus ille tritus et communis, «ut in Dominica infra quascumque Octavas fieret officium non

---

vae. Ut quid ergo ad psalterium recurrere, dum officium Domini per Octavae officium iam celebratur? Iam nunc eiusmodi ratio sicuti favet omnibus festis Domini, eodem saltem ritu, eademque solemnitate fruentibus, ita adversatur omnibus aliis et quibuscumque festis, quae ad ipsum Dominum non pertinent. Hic, ni fallimur, est basis totius resolvendae quaestionis.

REDACTIO.

« de Dominica, sed de ipsa Octava, ab aliis quidem integrum, « nulla facta mentione Dominicae, ab aliis vero, excepta homi- « lia, Antiphona ad *Benedictus*, et Oratione quae de Dominica « erant. Qui usus a Pio V retentus quidem fuit pro Dominicis « infra quatuor Octavas Domini, nimirum Nativitatis, Epiphaniae, « Ascensionis, et Corporis Christi, in quibus officium fit ut in « festo... (1) Reliquis vero Dominicis *infra alias omnes octavas* re- « stitutum est officium dominicale ». Alludens deinde ad quosdam usus qui, ut in Parisiensi dioecesi, retinebant infra Octavam Assumptionis totum officium de festo cum commemoratione Dominicae, addit expresse : « quod nec in istis ego, nec in aliis similibus cum romano usu convenire posse ullatenus putaverim ».

Legitur apud Stella : « Minores Dominicae, aliae sunt privilegiatae, non privilegiatae aliae. Privilegiatae appellantur quae officium dominicale non habent, quia incidunt infra Octavas vel Nativitatis, vel Epiphaniae, vel Ascensionis, vel Corporis Domini, et de respectiva Octava officio gaudent. Reliquae non privilegiatae ex opposito dominicali celebrantur officio » (*Institut. Liturg. Tract. 2, cap. 4, § 1.*). Unde vere non privilegiantur in sensu officii festivi nisi quatuor dictae Dominicae, etiamsi ex indulto concederentur aliquae Octavae privilegiatae ad instar, quia solae quatuor istae habent officium compositum sicut infra Octavam cum aliquo Proprio de Tempore et commemoratione Octavae, quin usquam dentur regulae ad componendum tale officium pro aliis Octavis, quae privilegiarentur ad instar.

(1) Nil profecto sapientius. Et sane, ritus Dominicarum, una excepta, qua « *in Albis* dicitur, est semiduplex : ritus dierum infra Octavas est pariter semiduplex. At semiduplex dominicale praevalet indubie aliis semiduplicibus, sive de Sanctis sive de infra Octavas. Ergo duobus semiduplicibus occurrentibus, quorum alterum est infra Octavam, alterum est dominicale, de Dominica agendum est, et non de infra octavam, quae commemorabitur. Cum vero quaestio esset de Octava festorum Domini, placuit Summo Pontifici Pio V ita rem componere, ut de infra Octavam fieret, simulque de Dominica, hoc est non haberetur recursus ad psalterium, cum esset inutile, ut superius dictum est, sed Domini officium fieret per officium de infra Octavam, quae ad Dominum pertinet.

REDACTIO.

Piller in suo *Manuali Liturg. Rom.* docet *(Pars. I, par. 23)* : « In Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Christi (si non occurrit festum duplex) officium fit sicut infra Oct. de festo et Proprio de Tempore cum Com. Oct. sine Precibus et Suffragiis. In Dominicis vero infra alias Octavas, totum officium fit de Dominica ut in Psalterio (cum 18 Psalmis ad Matutinum) et Proprio de Tempore cum Com. Oct., omissis Precibus et Suffragiis ».

En regula, quam pro Dominicis infra Octavas posuit novissimus Pourbaix in suo *Sac. Liturg. Compendio, (Part. I, pag. 53)* : « fit nempe officium de Dominica cum Commemoratione « Octavae. Excipiuntur tamen Dominicae infra Octavas Nativi- « tatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi occurrentes, « et in quibus officium fit sicut infra Octavam ». Et in Mechliniensi cursu Liturgiae anno 1891 edito legitur : « Hic autem modus dicendi officium de Dominica infra istas quatuor Octavas non extendi potest ad Dominicas infra alias Octavas occurrentes ; in iis enim officium dominicale dicendum est, omissis tantum Precibus et Suffragiis ratione Octavae ».

Unde unanimis Rubricistarum concordia est, ut Dominicae infra Octavas, quatuor a Rubrica exceptis, dominicale debeant habere officium iuxta solitum, paucis dumtaxat mutandis ratione Octavae.

Neque obiicias, si aliquae passim Octavae conceduntur privilegiatae ad instar, Dominicam ergo infra Octavam rigorose celebrandam esse modo festivo cum commemoratione Oct. Duplex enim, et prorsus independens, est genus privilegiorum pro Octavis Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi: unum nempe, quod dat officium proprium Dominicae infra illas occurrenti, et unum quod excludit plus minusve festa occurrentia vel translata (1). Prius non convenit pro Octavis privilegiatis

(1) Distinctio inter duplex privilegium quatuor octavarum, alterum respiciens exclusionem festorum ab ipsis, alterum tangens officium proprium, fortasse difficilis est probatu. Cum enim aliquod festum ex indulto conceditur privilegiatum ad instar alterius, ius est privilegiatis illud festum agendi sicut alterum. Ergo, si hoc alterum festa alicuius ritus ex-

ad instar, quia ex una parte supponit aliquod officium speciale pro Dominica, quod de facto non existit, et ex altera non est ulla regula ad illud componendum. Restat igitur posterius, quod solum revera conceditur in casu, et modo sinit Octavam semper commemorari, ut illam Ss. Petri et Pauli in Urbe, et modo permittit Octavam praeferri omnibus 2ae cl. festis occurrentibus, ut illam Epiphaniae, et modo non admittit festa translata nisi 1ae et 2ae cl., ut infra Octavam Corporis Christi, et hoc sufficit ut Octava dicatur privilegiata, ut per se patet.

Rationes aliunde, cur Dominicae infra praelaudatas quatuor Octavas celebrentur sicut infra Octavam de festo, non item valent pro privilegiatis ad instar. Celebrantur more festivo in primo casu, « opportune id omnino, ait Guyetus (*loc. cit.*) cum et officium eiusmodi Octavarum vere officium sit Domini, adeoque a Dominica haud alienum; sed nec Dominicis istis, saltem tribus prioribus, fas esset psalteriale officium tribuere, quippe extra seriem positis temporum, in quibus Psalterii cursus locum habet ». Item, teste De Herdt (*Tom. 2, n. 236 ad 2.*), « fit officium non ut in Psalterio, sed sicut infra Octavam... ut officium maximae celebritati Domini concordet: quae ratio in Dominicis infra alias Octavas non ita invenitur, cum potius aequum sit ut officium Octavae alicuius Sancti cedat officio dominicali, quod Domini est ». et *Ephemerides Liturgicae* (anno 1890 pag. 461 in nota), declarant, quod, si per indultum concedatur passim aliquod privilegium ad instar Octavae Epiphaniae, tunc de ipsa Octava agetur in ipsa Dom., quae commemorabitur tantum, quia ex una parte praeferenda est omnibus festis praeter 1ae classis, et ex al-

---

cludit, et excludit in Dominica infra octavam etiam psalteriale officium, ut fiat de Dominica infra octavam, palam sequitur, festum privilegiatum et eadem festa excludere et officium psalterii, ut de Dominica infra octavam officium fiat.

Quod si obiicias, hoc officium non posse fieri, quia non est, facile reponimus, nihil aliud agendum quam Rubricam in casu seu generalem seu specialem applicari, et quod deficit accipere de festo, sicque recitandum officium nullo negotio patebit.

REDACTIO.

tera non existit in casu officium dominicale ad instar illius, quod pro Epiphania reperitur.

Denique assignatio officii festivi ad Dominicam infra quasdam Octavas, iuxta Rubricas Breviarii, non est aliquid inhaerens Octavis proprie privilegiatis, quoniam Dominica infra Oct. Ascensionis gaudet hoc officio festivo, et tamen est iuxta omnes Auctores Octava ordinaria, quae admittit omne festum duplex sive occurrens sive translatum. Taxative igitur loquitur Rubrica, quando determinat quatuor Dominicas huiuscemodi officium habentes festivum, et quoad omnes alias, etiam privilegiatas ad instar, pro certo tenendum est ius non habere ad officium sicut infra Octavam ipsa die dominica, quia illud supponit existentiam alicuius officii proprii cum com. Octavae: quae hypothesis non verificatur nisi in quatuor dictis Octavis ad exclusionem aliarum. Si igitur, quidquid dixerit Doct. Piacenza (*Ephem. Liturg.* an. 1891 pag.33 et 265), PP. Carmelitae Excalceati, ex Indulto Pii VIII, solemnitatis B. M. a Monte Carmelo octavam celebrent privilegiatam ita ut infra ipsam non agant nisi de Dupl. 1.ae vel 2.ae cl. (1), nihil impedit quominus officium Octavae recitent in Dominica infra Octavam cum Com. Dominicae tantum, imo hoc est obligatorium in casu, cum haec Octava non admittat nisi festa 1ae et 2ae cl., et Dominica sit semiduplex; sed non debent agere de Dominica modo festivo, cum Com. Oct. ad instar Epiphaniae, quia nullum huiuscemodi reperitur officium pro casu in Breviario Romano, et non datur ulla lex ad eius compositionem. Equidem prima fronte exorbitans videtur tale privilegium, sed eo existente conclusio non videtur dubia (2).

---

(1) Hoc privilegium, si eiusmodi vere est, afferendum in exemplum certe non foret, cum literae et spiritus Rubricarum refragetur: literae, quia dicto privilegio nulla decoratur Octava, nisi pertineat ad festum Domini: spiritui, quia Rubricae sartam tectamque volunt semper dignitatem Dominicarum. REDACTIO.

(2) Rubricis Breviarii Romani adeo nobis videtur opposita haec agendi ratio (officium agere de Dominica infra octavam festi non Domini, relicto officio psalterii), ut vix acquiescere possimus. Praelatio semiduplicis de-

Particularitates ad diversos casus attinentes. 1° Quoad quatuor Dominicas, quae habent officium festivum sicut infra Octavam cum novem Psalmis dumtaxat in Matutino, omnia perficiuntur ut in festo respectivo, praeter Lectiones, octavum responsorium, capitula, versiculum et responsorium Vesp. et Laud. Antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat*, Orationem, et Missam, quae nimirum sunt propria, cum Com. Oct., quae, praeter illam Ascensionis, semper agenda est, quocumque festo in illis occurrente (*Tit. VII n. 3*). Si impediantur per festum maius, dies, ubi celebrari debent, eorum commemorationem accipit in 1is Vesp., ad Laud. et Miss., et etiam in 2is Vesp. nisi in crastino fiat de festo 1ae vel 2ae cl. iuxta regulam generalem. Quaenam sunt autem impedimenta? Lege. Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrerit in festo S. Stephani, vel S. Ioannis, vel Ss. Innocentium, de ea nihil fit ipsa die, sed transfertur in diem 30, et si alicubi die 30 occurrat festum duplex etiam 1ae cl., tunc cum in ecclesia universali fiat de Dominica sive occurrente sive translata, huius habenda est in ipso commemoratio, ut diximus supra, ad Vesp., Laud. et Miss. cum eius Evangelio in fine Missae (*S. R. C. 28 Mart. 1654, n. 1709*). Quando autem occurrit diebus 29 vel 31, fit de festis occurrentibus S. Thomae vel S. Silvestri, cum Com. Dom. ut supra (*Rubr. novissimae*). Dominica infra Oct. Epiph. non cedit nisi festis 1ae cl.: quo casu de ea fit Com. et Oct., ut superius notatum est. Quod si venerit

---

infra octavam prae semiduplici dominicali, aeque semperque repugnat, quamvis agendum esset in casu, *non officium de Dominica modo festivo cum com. octavae*, sed *officium octavae cum com. Dominicae*. Quia discrimen inter hos duos agendi modos fere nullum est, et inconveniens nequaquam tollit. Hinc apud Carmelitas Dominica infra octavam Solemnis Commemorationis B. M. de Monte Carmelo non est ritus semiduplicis, sed duplicis. Ita eorum specialis Rubrica: « Dominica infra octavam. Comm. Solemn. **Dup. minus** etc. » Quo posito, licet exorbitans sit privilegium, silebimus. Ceterum eiusmodi privilegium, nuper ab aliis pluries imploratum apud S. R. Congregationem, denegatum fuit, et fortasse semper in posterum denegabitur. Haec dicta sint, ut veritas undequaque clarescat.

REDACTIO.

Epiphania in Dominica, tunc Dominica anticipatur in Sabbato infra Octavam, et in die Octava nihil fit de Dominica (*Rubr. spec.*). Dominicae infra Octavam Ascensionis et etiam Corporis Christi cedunt omni festo duplici, nisi Indultum plus concedat.

2° Reliquae Dominicae infra Octavas, etiamsi Octavae sint privilegiatae ad instar, celebrantur ut in Psalterio (1) cum Com. Oct., si non occurrat festum quod ab Indulto declaratur eas impedire. Ad Primam dicuntur Psalmi consueti et Symbolum, sed omittuntur Preces et Suffragia, sicut in omni infra Octavam. Color tamen paramentorum est color ipsius Octavae, nisi Dominica ipsa habeat colorem violaceum (*Rubr.*). Si autem Octava non cedat nisi 1ae et 2ae classis festo, tunc fit de festo 1ae vel 2ae cl. cum Com. Oct. et Dom., vel deficiente festo, fit de ipsa die infra Octavam currente cum Com. Dominicae, quae est tantum semiduplex, ut explicavimus supra. Haec est sententia nostra, quam sapientioribus tamen humillime remittimus.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana,
Curè de Lannes (Diocèse de Langres).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE AUGUSTO.

Symbolum in Missa solemni vel pontificali recte ne dicitur alternatim a Celebrante cum Ministris? Erui ne aliquid potest ex Rubricis, ex Auctoribus, ex recto sensu liturgico?

(1) Si dictae Octavae ad festa Domini non pertinent, nos perfecte convenimus: in casu diverso, negotium nobis non videtur certum.

Redactio.

APPENDIX

E SUPREMA S. OFFICII CONGREGATIONE

I.

Beatissimo Padre (1).

N. N. prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che egli, due anno or sono, fu ammesso all'ordinazione del Diaconato. Oggi però ha dei dubii su quella ordinazione. Egli ricorda bene che il Vescovo nello imporgli le mani, non lo toccò fisicamente: ne visse inquieto per qualche tempo: ma pensando che il tatto fisico non è essenziale, si lasciò poco dopo promuovere al sacerdozio. Se non che, avendo non guari appreso che la imposizione delle mani senza contatto corporale rendeva dubbia l'ordinazione, agitato da novello timore, chiede se la sua ordinazione a diacono debba essere reiterata sotto condizione. — Che ecc.

Fer. IV. 26 Ianuarii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus.

---

(1) N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit quod duobus abhinc annis, ad recipiendum Diaconatus Ordinem fuit admissus. Nunc autem circa hanc ordinationem dubiis premitur. Optime enim meminit quod E.pus, dum manus imponeret, ipsum physice non tetigit: de hoc aliquandiu turbatus exstitit; sed putans tactum physicum non esse essentialem, ad sacerdotium se promoveri indulsit. Iamvero quum nuper audierit, ex impositione manuum sine contactu corporali peracta, dubiam evadere ordinationem, iterum timore pressus, postulat utrum sua ordinatio ad Diaconatum, debeat sub conditione iterari. (*Versio latina ex Anal. ecl. Ecclesiast.*).

proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR.mi DD.ni responderi mandarunt:

Detur Decretum Fer. IV 2 Ianuarii 1875; scilicet iteretur sub conditione Ordinatio Diaconatus, quae iteratio fieri potest a quocumque catholico Episcopo secreto, quocumque anni tempore etiam in sacello privato, facto verbo cum SS.mo.

Feria vero VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SS. Dominus resolutionem EE. ac RR. Patrum confirmavit ac facultates omnes necessarias et opportunas impertiri dignatus est.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Not.*

II.

Beatissimo Padre (1).

N. N. prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che egli fu ordinato Sacerdote con questa intenzione: Dubitando se era idoneo o pur no al presbiterato, da una parte voleva togliere la intenzione di esser prete, dall'altra voleva metterla. Finalmente disse così: metto quella intenzione che determinerò certamente in qualche punto dell'ordinazione. Dubbioso sempre ricevette la prima e la seconda imposizione delle mani; e solo quando si fu alla consacrazione delle mani risolse di esser prete. Or, inquieto di coscienza, chiede se sia valida l'ordinazione così ricevuta.

(1) N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit se sacrum recepisse presbyteratus ordinem cum sequenti intentione: quum enim dubitaret utrum ad presbyteratum idoneus esset necne, ex una parte volebat excludere intentionem recipiendi characterem, ex altera vero illam ponere volebat. Tandem ita sibimet dixit: pono illam intentionem, quam in decursu ordinationis pro certa statuam. Ita dubitans, primam et secundam manuum impositionem recepit; et tunc solum, intentionem recipiendi sacerdotium efformavit, quum ad manuum consecrationem pervenitum est. Nunc autem, conscientia pressus, postulat utrum valida sit ordinatio sic recepta. (*Versio latina ut supra*).

Fer. IV, 26 Ianuarii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque voto RR. DD. Consultorum, responderi mandarunt :

Acquiescat.

Feria vero VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SS. D.nus resolutionem EE.morum PP. adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Not.*

III.

Feria IV, die 30 Martii 1898.

Huic Supremae Congregationi S. R. et U. Inquisitionis delatum fuit enodandum sequens dubium :

Utrum Missionarius conferre possit baptismum in articulo mortis mahumedano adulto, qui in suis erroribus supponitur in bona fide :

1. Si habeat adhuc plenam advertentiam, tantum illum adhortando ad dolorem et ad confidentiam, minime loquendo de nostris mysteriis, ex timore ut ipsis non crediturus sit ;

2. Quamcumque habeat advertentiam, nihil ei dicendo, cum ex una parte supponitur illi non deesse contritionem, ex alia vero prudens non esse loqui cum eo de nostris mysteriis ;

3. Si iam advertentiam amiserit, nihil prorsus ei dicendo ?

In Congregatione Generali habita ab EE. ac RR. DD. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, proposito dicto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto EE.mi ac RR.mi Patres responderi mandarunt :

Ad I. et II. Negative, i. e. non licere huiusmodi mahumedanis, de quibus in primo et secundo quaesito agitur, sive absolute, sive conditionate administrare baptismum ; et dentur decreta S. O. ad Episcopum Quebecensem sub die 25 Ianuarii et 10 Maii

1703, et Instructio S. Officii sub die 6 Iunii 1860 ad Vicarium Apostolicum Tche-Kiang. Ad III. De mahumedanis moribundis et sensibus destitutis respondendum ut in decreto S. Officii 18 Septembris 1850 ad Episcopum Perthensem ; idest : « Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adiunctis inspectis, ita prudenter iudicaverit ».

Feria vero sexta die 1 Aprilis eiusdem anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Divina Providentia PP. XIII relatione, SS.mus resolutionem E.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini. S. R. et U. I. Not.

IV.

Beatissimo Padre,

Tizio, escluso ogni accordo collo spirito maligno, usa evocare le anime dei trapassati. Egli opera così : Solo, senz'altro dirige una preghiera al Capo della Milizia celeste, perchè voglia concedergli di parlare collo spirito di quella determinata persona. Passano istanti ; ed egli, preparata la mano a scrivere, sente muoversi la stessa che lo avverte della presenza dello spirito. Egli espone quanto desidera sapere e la mano scrive in risposta alla proposta di lui.

Le risposte sono tutte in conformità con la fede e con l'insegnamento della Chiesa sulla vita futura. Riguardano per lo più lo stato in cui trovasi l'anima di un defunto, il bisogno che potrebbe avere di suffragii, le lagnanze di essa sulle ingratitudini dei parenti etc.

Ciò posto è lecito l'operato di Tizio ? (1).

(1) *Versio latina :*

Beatissime Pater — Titius, seclusa quacumque cum daemone conventione, evocare solet mortuorum animas. Ita ipse operatur : solus, statim ad Militiae coelestis Principem orationem aliquam dirigit, ut concedere velit se loqui posse cum spiritu certae alicuius personae. Aliqua ruunt

Feria IV, die 30 Martii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt.

Uti exponitur, non licere.

Feria vero VI die 1 Aprilis eiusdem anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobovit.

I. Can. Mancini S. R. et U. I. Not.

---

momenta, ac ipse, manum, quam ad scribendum paraverat, movere sentit, atque ita de spiritu praesentiae certior fit. Tunc quod scire desiderat exponit, manus vero scribit responsiones ad petitiones, quas ipse facit. Responsiones conformes omnes sunt doctrinae fidei atque Ecclesiae documentis circa vitam venturi saeculi. Generatim statum in quo defunctus invenitur, suffragiorum necessitatem, quam habere potest, vel eiusdem querimonias propter parentum ingrati animi crimen, respiciunt.

His expositis, licitene Titius operatur?

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.